



DOMI NUS ILLU
MINA TIO MEA
Taylor Institution.



ACTA
LITTERARIA.

SCRIPSIT
CHRIST. ADOLPHVS KLOTZIVS

— *Librum, si malus est, nequeo laudare.*
IVVENAL.



VOLVMINIS VI. PARS I.

ALTENBVRGI
EX OFFICINA RICHTERIA.
CIƆ IƆ CCLXXI.


LIBRARY OF THE TAYLOR INSTITUTION
UNIVERSITY OF OXFORD
27 NOV. 1934



I.

P. Terentii Afri Comoediae, ex recensione Danielis Heinsii, collata ad antiquissimos MSS. Codices Bibliothecae Vaticanae, cum variantibus lectionibus laruis et personis, depromptis ex eisdem codicibus, et Italica versione, recensuit notasque, antiquam artem comicam et nonnulla antiquitatum Romanarum monumenta illustrantes, addidit *Carolus Cocquelines*.

Romae, 1767. impensis Roisechii, bibliop. et typogr. in foro Agonali. Volumina duo. fol. magn.

Delectari videtur Italia veterum auctorum editionibus, quae praeter formae magnitudinem, chartarum venustatem, et imaginum variarum nitorem, nihil habent, quod laudes. Quare Ambrogiano Virgilio (*) addi nunc illa

 laeta-

(*) v. Acta haec, I, 311. III. 1. IV, 268.

laetatur Terentium, neque, quantum a Muretorum, Manutiorum, Victoriorum, immo Vulpiorum, ratione et gloria recedat, intelligere videtur. Atque etiam dignus est hic Terentius comes illo Virgilio. Vterque enim summam egestatem specie magnifica tegit, atque eorum oculos animosque allicit, qui, licet, cur libri emendi sint, caussam ignorent, emunt tamen eosdem insano pretio, nitide vestiunt, nulloque modo attritos maculatosque nepotibus tradunt.

Sperabamus profecto, cum codices Vaticanae bibliothecae in fronte operis commemorari videremus, nos inuenturos esse nonnulla, quibus, si vel ipse Editor nullum verbum adiecisset, si modo librarii fidelis et accurati opera functus fuisset, orationem Comici nostri cum emendaremus, tum tentatam ab aliis defenderemus. Sed omnem illam spem abiecimus, lectis iis, quae de consilio suo libere et ingenue Editor professus fuit. Quam enim putatis, o mei, illum caussam reddere, cur hanc editionem Terentii adornauerit? *Quum*, inquit, *rei domesticae consulendum foret*, *propellendaque fames* (*improbo enim triginta quinque annorum labore pluribus-*

Praef. p. 3.

que

que editis voluminibus pauxillum partis utri comparare mihi nulla modo potui) *maturandum fuit hoc opus et aliqua ineunda via qua utilius redderetur.* Dolemus ex animo sortem viri boni, cui *venter expediuit suum* χαῖρε, quoque nemo liberius *magistrum artis ingeniique largitorem* agnouit. At male tamen ille sibi suisque lectoribus consuluit dum ad hos negotium neque ab ingenio neque ab vsu satis paratus, instructusque accessit. Poterat vero in Germaniam aduolare, quae lubenter sinu suo cuiuscunque generis homines, modo aut Franciam habeant patriam aut Italiam, excipit fouetque. Poterat ad aulas principum nonnullorum Germaniae adrepere, quae eum tanquam e coelo delapsum suscepturae erant. Immo nostros homines imitari debebat, quos Italia, quamvis sibi ingeniosa, quamvis acuta videatur, nunquam superabit. Quorum cum nonnulli, fame enecti, iam laqueum emere vellent, iis meliorem mentem inspiravit, qui natale astrum temperat, Genius, eosque Criticos esse iussit. Quot apud nos trahunt vitam in tenebris, qui fame perirent, nisi Germania emax eorum libellos singulis mensibus appeteret?

 Neque

Neque ſane opus erat, vt doctus eſſet *Cocquelinius* noſter, vt cognitas haberet res multas. Nonne dux et anteſignanus Criticorum, ſi dis placet, ſatis eruditorum, eſt bibliopola Berolinenſis, *Fridericus Nicolai*, quem omnium bipedum maxime ridiculum eſſe, et mortales omnes rerum bonarum omnium ignorantia vincere, quicquid in Germania ſapit, non ſine riſu et ſibilis dudum profeſſum fuit. Tamen illi bene et pulchre eſt: bene eſt ventri: bene vxorculae: bene tabernae, quae vsque ad veſperam impudentiae et caninae facundiae patet, Criticae. Nam quis illo nugas vendere puerosque et ſenes argento emungere melius didicit? Nunquam tam male agitur cum ſtupore, quin inueniat et amicos et defenſores ſtrenuos.

At *Cocquelinio* alia ratio placuit. Terentium *minime ab aliis ſuae integritati reſtitutum eſſe* ſibi perſuaſit. p. 2. Fateor. Exſpectat ille, vt plerique veterum auctorum, melioris fortunae fauorem. Manus non tam emendatrices, quam corruptrices Guyeti et Bentleii expertus eſt. Sed profecto non is eſt *Cocquelinius*, qui virorum doctorum voluntati ſatisfacere poſſit, licet optime de

Teren-

Terentio mouendi instrumenta in manibus habuerit. Ipse de iis in praefatione exponit non indiligenter.

Primum consuluit clarissimum Terentii codicem, quem Vaticana bibliotheca habet. Est is vncialibus litteris exaratus, actus fabularum minime diuisi sunt, id quod in omnibus antiquis se obseruasse dicit, versus vero diuise scripti apparent. Andriae vix duae tresue supersunt plagulae. (Sed Andriam suppleuit e codice Basilicae Vaticanae.) Fuit hic codex, quem Benedictini monachi non antiquiorem esse censent sec. IV. (*) olim Bernardi Bembi, illique inscripta leguntur haec verba;

O foelix nimium prior aetas
Ego Angelus Politianus homo vetustatis minime incuriosus
Nullum aeque me vidisse ad hanc diem codicem antiquum
Fateor.

Scripturae, qua hic codex exaratus est, specimen radio laminis aeneis inscribi curauit Editor. Sed hunc codicem notum est iam Faernum inspexisse, cuius si operam superare voluisset, idem debebat

(*) vid. *Nouveau Traité de Diplomatique.* L. II. cap. 4. Sect. 2. art. 1. §. 67.

bat facere *Cocquelinium*, quod fecerunt Bottarius et Fogginius, ille in codice Vaticano, hic in Mediceo codice Virgilii exhibendo. Totum nobis Terentii codicem tradere debebat. Quem iuuabunt, quem delectabunt paucae illae lectiones, sic temere appictae, nullo interpretationis ac explicationis subsidio adiunctae? Immo quisquis sit, quam parum exercitatus sit *Cocquelinius* in arte Critica, vndeque toto clarius argumentis cognouerit, aut ei fidem habebit, aut eum in hoc negotio recte versatum esse credet?

Secundus codex, etiam Vaticanus, quem Montefalconius Sec. IX. assignat, nitide descriptus est ab Hrodgario quodam. Carmina non diuisis versibus exarata sunt, sed ita posita apparent, quasi soluta et pedestri sermone actores vterentur, glossa inter lineas posita. Hic codex praefert imaginem Terentii, quam Editor Vitae Comici praefixit (p. 23.) atque etiam laruas et personas habet.

Praeterea quinque inspexit codices bibliothecae Barberinae, recentioris omnes aeui. Sed nec hos vbique consuluit, sed iis tantummodo in locis, vbi duo Vaticani codices deficerent. quod ab eo per-

peram

peram factam esse apparet. Sed quis a festinante Editore plura exspectet?

Operis describendam dedit Terentii editionem, quae cura Danielis Heinsii ex officina Elzeviriana a. 1631. prodiit. Huic appinxit lectiones, de quibus ipse nihil dixit. certe si quid dixit, quod semel iterumque fieri meminimus, (Vol. I. p. 296. 237.) tenue hoc omne est nulliusque omnino pretii. Vix nosse videtur Hareium et Bentleium. Adeo nullum de lectionis varietate iudicium tulit verbumque fecit. De metro nequidem cogitasse videtur. Omnem omnisit verborum locorumque difficilium interpretationem. Quo de interpretationis genere non melius iudicat, quam de tota veteres auctores explicandi ratione. *Neque enim*, inquit, *grammaticalibus commentariis hanc editionem ornatam volui, quod nihil lies iam factum novi, Donatumque si excipias paucosque alios reliqui fere omnes interpretes vel puerilia tractant, minutas correctiunculas ad fastidium usque ingerentes aut vanas obtrudunt coniecturas aut operosis Criticorum nugis Terentio tenebras offundunt, vel etiam eius detorquent sensum, dum nimis conantur illustrare.* Sic loqui solent, qui de Praef. p. 11.

re Critica, deque vtilitate, quam haec cum emendandis tum explicandis veterum libris praestat, iudicare omnino nequeunt. Quid vero ab iis exspectes? nil profecto praeclari, nil, quod non quiuis e populo dare et efficere possit. Nec aliter *Cocquelinius*. Nil illius commentariis tenuius cogitari potest. Explicuit ea, quae ad theatra antiqua, ad vestes, ad tibias pertinent, nota ea omnia apud nos pueris, qui ferulae nondum manus subduxere. Huc pertinent, quae dixit (Vol. I. p. 91.) de laruarum inuentoribus, (p. 125-144.) de toga et pallio: (p. 145.) de chlamyde, (p. 166.) de socco, (Vol. II. p. 91.) de tibiarum generibus variis, (p. 155.-191.) de theatri partibus. Quibus in rebus exponendis si quis putet Editorem aut ab aliorum opinionibus recessisse, aut quasdam antiquitatis partes maiori luce collustrasse, nae ille vehementer errat. Omnia iam ab aliis dicta sunt, omnia e libris satis obuiis repetita. Immo ipse fatetur pauperiem Editor:

p. II. *Fateor, noui nihil afferri a me in medium posse ac castigatius, quam Scaliger, Bulengerus aliique nonnulli doctissimi viri disseruere.* Quae igitur caussa fuit, cur non ab iis discere pateretur lectores,

quae vellent? cur, quarum copia facile haberi potest, disputationes recoxit misere? Neque his repetitis contenta fuit festinatio hominis. Alia quoque non sine summo animi fastidio nobis obtrudere ausus est, quorum pudeat pigeatque tam splendidae editionis auctorem. Nam qui, vt Editor fecit, de praesidio, quod arae praestiterint confugientibus ad eas, (Vol. I. p. 246.), de cupresso tristi (V. II p. 9.) de manumissionis ritibus (p. 82.) de nexu creditorum (p. 115.) de iuris iurandi ritu et religione (p. 226-228.) de expositione liberorum (p. 202.) de discrimine inter diuortium et repudium (p. 140.); qui igitur de his aliisque rebus egit, ille commaculasse nitidas chartas et illusisse nostrae aetati existimandus est. Quam curtam domi supellectilem habuerit Editor, non solum ex harum notissimarum rerum explicatione patet, sed inde quoque, quod aliorum commentarios totos huc transtulit suisque inseruit. Sic (Vol. II. p. 135.) Aldi Manutii dissertatiunculam de drachmis proposuit, atque eo loco, vbi talenti explicatio exstat, (p. 130.) his verbis lectorem compellat: *Talenti minarumque Terentianis in Comoediis frequens cum occurrat mentio,*

sio, non iniucundum fore arbitror legenti, nonnulla a me de huiusce generis monetis disseri, quae tamen Io. Iacobo Hofmanno, Budaeo, Moreto, Rezzonico que accepta refero. Quibus igitur *iucundum* haec fore credere poterat? Neminem, arbitror, verbosa haec et ieiuna interpretandi ratio iuuabit delectabitque. Nam pueris, qui scholam non sine fletu accedunt, brachioque libellos comportant suos, quibusque solis hi commentarii prodesse possunt, Terentium suum non existimo dicasse *Cocquelinium.* Non opus est, vt plura addam. Quisque ex his, quae diximus, boni interpretis partes nec cognouisse, neque expleuisse illum intelliget.

Speciem haec editio praefert satis magnificam; quam ei conciliant frequentia, quibus cum litteras initiales cum fines scenarum exornauit sculptoris manus, monumenta antiqua. Quorum nonnulla recensebimus.

Scabillarius, a gemma sumtus, tibias duas pares, inuersas, gerit, labiisque tenet bucculam: pedibus siue scabillum, siue, quod verisimilius videtur, vtrem (*) calcat

(*) conf. *Gorii Inscript. Etrusc.* T. II. p. 105.

calcat (Vol. I. p. 7.) Statua Musei Capitolini, e Pario marmore facta, exhibet puerum hilari vultu, pelli caprinae insidentem, dementemque laruam senilem capite. (p. 9.) *Iocum* esse putant, nisi malis Genium Comoediae agnoscere. — Vrna sepulchralis ostendit anaglypho opere nouem Musas sedentemque virum, ad cuius dextram fasciculus voluminum, ligamine vno constrictorum, columellae impositus apparet, cui sinistram manum, laruam tenentem tragicam, imponit foemina, forte Euterpe, dextra clauam tenens. (V. I. p. 89) Hanc vrnam putat Editor ad familiam pertinuisse Pomponiam, quae Musam in numis vsurpauit (*). quanquam quid prohibet, quo minus eam referamus ad quemcunque alium, Musarum studiis deditum? Musas vero ipsas intexuit litterarum initialium formis. Alliciunt oculos Clio (p. 93.) vel Polyhymnia, et Vrania (p. 181.). Quarundam Musarum simulacra e Museo Capitolino sumpta sunt, vt Terpsichores (Vol. II. p. 91.) et Thaliae, sinistra laruam, tibiam dextra tenentis (p. 179.) E. Borghesiano Museo repetita fuit Musa laureata, sinistra manu citha-

(*) conf. *Thesaur. Brandenb.* T. II. p. 576.

citharam columellae impositam tenens. (Vol. I. p. 177.) Iisdem Borghesianis in hortis vas e Pario marmore eleganter sculptum conspicitur, in quo quatuor larvae exsculptae sunt — (Vol. II. p. 11.) Faunus Florentinus, cuius imago alias quoque edita, cymbala vtraque manu tenet; et crupetium premit. (p. 175.) In fronte operis apparet theatrum Pompeii.

Praeter haec ornamenta alia accedunt eaque ampliora. Nam personas Comicorum, qui vnaquaque agunt in fabula, e codice Vaticano altero depromtas, exhibuit. Quarum imaginum species imperitos harum rerum decipere potest, peritos non impediet, quo minus rem valde inutilem *Cocquelinium* egisse dicant. Nam ne quid dicam de Daciera (*), quae laruas antiquas e duobus codicibus Parisinis repetiit, ne quid de Bergero (**), et Ficoronio (***), quorum opera

(*) *Les Comédies de Terence avec la Traduction & les Remarques de Madame Dacier.* Amstelod. 1724. Vol. III.

(**) *Christ. Henrici de Berger Commentatio de Personis, vulgo Laruis, seu Mascheris.* Francof. et Lips. 1723.

(***) *Franc. Ficoronii Dissertat. de laruis scenicis et figuris comicis antiquorum Romanorum.* Romae, 1750.

opera satisfecit cupidis visendarum laruarum, nonne iam Terentii editio alia eodem de codice depromtas easdem imagines exhibet? Titulum libri infra posuimus (*). Quare nulla necessitas quenquam compellere poterat ad easdem res iterum euulgandas, nisi ea, qua se cogi Auctor professus fuit. Quanquam, vt verum fatear, res suas callidissime egisse suspicor et Editorem operis et redemtorem. Nisi me omnia fallunt, eaedem laminae adhibitae sunt, quarum incussu eae imagines Mainardianae editioni iam traditae fuerunt et impressae.

Sed nullo modo cogitasse videtur Auctor, quid vtile, quid necessarium esset. Adiunxit Latinae orationi Italicam interpretationem *Nicolai Fortiguerrae*, quam habet eadem editio, cuius modo mentionem fecimus. Exstat illa quoque alibi (**). Iam eam iterum emendam obtulit

(*) *P. Terentii, Afri, Comoediae sex, Latine et nunc primum Italicis versibus redditae: cum Personarum figuris, aeri accurate incisis, ex MS. codice bibliothecae Vaticanae. Vrbini, sumt. Hieron. Mainardi*, 1736. fol.

(**) in Corpore Poetar. Latinor. cum Italica versione editor. T. XIX. et XX, Mediol. 1740.

tulit *Cocquelinius*. Nam qui eo consilio, quod ille prae se fert, ad libros scribendos animum appellit, omnia corradit.

Praefationi addidit Editor Euanthii, p. 19. Grammatici, et Donati aequalis, commentariolum de tragoedia et comoedia, p. 23. quem excipit Vita Terentii, quam alii Suetonio, alii Donato tribuunt. Intexuit illi Tanaqu. Fabri dissertatiunculam de aetate Terentii. *malo enim*, ingenue fatetur, vir bonus, *alieno vti labore, quam incomptum quidquam de meo pro-* p. 29. *ferre*. Nec desunt veterum iudicia de Terentio. Nam ea quoque ex tot editionibus petere potuit, nec ipse collegit. Alterum volumen triplex index comitatur: primus sententias Terentianas, ad certa capita redactas, alter formulas loquendi, tertius res auctoresque, quorum in animaduersionibus sit mentio, exhibet.

Quamcunque editionis partem examinaueris, vbique, quam vere festinationem tibi narrauerit suam Editor, inuenies, videbisque, eum, non quia mos sit ita rogandi, sed quia res ipsa postulauerit, reique actae conscientia has voces p. 18. expresserit, te orasse: *Fruere, lector humanissime, labore hoc, quotusquisque*

ille

ille sit, meque laudis minime cupidum, flagrantem tamen desiderio, quam citissime hoc maturandi opus tibique offerendi, excusa, si quid minus castigatum aut expolitum minus offenderis.

II.

Georg. Frid. Mulleri Varii Generis Carmina Latina, denuo excusa cum additamentis.

Annabergae, ex officina Frisia, 1769. pagg. 142. 8.

In tanta paucitate eorum, qui Latinos versus cum scribant in Germania, tum lubenter legant, immo qui elegantis, vt dicunt, et venusti, hominis nomine satis dignum hoc carminum genus putent, non duriore censura prosequi decet eorum conatus, qui a seculi leuitate abhorrent, maiorumque vestigiis insistunt. Non cum Politiano, cum Marullo, Vida, Ioanne Secundo, Sabino, Heinsiis et Lotichio *Mullerum*, senem doctum et de pube scholastica bene meritum, componam. Iniquius hoc esset et acerbius. Nec eadem

vis sententiarum, nec idem spiritus, nec ea sermonis Latini castitas et suauitas, quid? quod nec eadem ingenii venustas, quam illorum carmina spirant, Mullerianis versibus inest. Comparetur ille potius cum iis, qui nunc viuunt, Latinis poetis.* Non infimus ei locus debetur. Adest ingenii varietas et vbertas: multa vbique veterum poetarum lectio apparet: nec plane inuitis Musis ad versus scribendos accessit *Mullerus*. De quo vt eo melius existimare lectores possint, et quam recte iudicauerimus, considerare, non poenitebit, carmen huc transferre, quo Lisboae excidium cecinit, totum,
p. 33. praeter duas vltimas strophas, quibus nescio quem alloquitur et reliquam carminis dignitatem minuit ipse atque frangit.

Quousque perges diffidiis tui:
Excita tellus rumpere viscera?
Vettonum Atlantaique fines
Iure tuos tremuere motus.

Quid bruta tellus, nomine prodigae
Indigna matris, tanta palatia,
Quid templa peccauere, ruptis
Excidium subitura vinclis?

Tandem nefaſtus detumeſcat furor,
Et rauca ceſſent murmura, iam ſatis
Magnas in aduerſis pependit
Ingeminans Olyſippo poenas.

Formido ciues occupat et ſtupor,
Et nemo nouit, quam fugiat fugam,
Hinc ſi minantur ſaxa diram
Cum gemitu labefacta ſtragem,

Formidoloſas inde voragines
Lymphata tellus pandit, et inſuper
Eructat exeſis cauernis
Sulphureos Phlegetontis ignes.

Omnis vacillat ſub pedibus locus
Fundata moles turbine corruit,
Ruptis ligaturis, ſuoque
Nutat inaedificata fulcro.

Tellure nil eſt vnda quietior,
Dum belluoſis fluctibus aeſtuat,
Spumamque, limumque et timendos
Oceanus vomit ore fluctus.

Credetis? eheu, credite poſteri,
Nunc ardet aequor, nunc medio e mari
Adſcendit ignis, nunc marinae
Mulcibero famulantur vndae.

Hinc ipse Nereus Syrtibus insonat
Atque inquietis cum Borea Notus
Immugit vndis et refusi
Insolitum furit ira ponti.

Totus laborat mundus et omnia
Gemiscit instar parturientium
Natura, et (auertas Iehoua!)
Difficilem dabit aegra partum.

Fallamur? io haud fallimur, vltimae
Instat ruinae terribilis dies,
Quo dissoluto nexu abibit
In cineres periturus orbis.

O ter beati, quos neque turbinum
Praecogitatus sollicitat furor,
Nec tunc fragores corruentis
Exagitant pia corda mundi!

Quid, quaeso, iudicatis de hoc carmine? Equidem non nego, obseruari acutis ab oculis quasdam maculas, quas si abstersisset corpusculo non deformi auctor, magis etiam illi gratularemur carminis sat boni laudem. Praesertim formulas quasdam notabitis, quae non satis respondeant lyrici carminis ingenio. Quis vero non venae Sarbievianae impetum agnoscit? quis non ardorem? Eundem

calorem ſpirant praeter alia illi verſus, quos e carmine, quo dei prouidentia celebratur, excerpſimus:

Ingens nefandis diſſidiis licet
Quaſſetur orbis; Mors licet aequora
Terraſque caeſorum cruentet
Sanguine; cuncta licet ſuperbi

Faſtus tyranni diruat oppida,
Et vaſtet agros; dira licet fames
Et concatenati dolores
Excrucient ſubigantque corda,

Morbique, bello qui comites eunt;
Tandem reſurgit cum fremitu deus,
Et robur oſtendit malisque
Egregium dat habere finem.

Quae quidem ſpecimina, non infeliciter Romanam lyram tentaſſe *Mullerum* indicabunt, ni fallor. Lyricis his carminibus primum dedit locum, in hoc volumine. Legimus tredecim odas, non eas quidem pari laude dignas, nec tamen plane abiiciendas. Vellem Auctor noſter imprimis vſum quorundam verborum diligentius obſeruaſſet, qualique in carminum genere iis locus ſit, attendiſſet. Vix licet centeſimus quisque hanc diffe-

 rentiam

rentiam sentiat, verissimum tamen est, quaedam verba, imprimis translationes quasdam verborum, in lyrico sublimioris argumenti carmine, recte collocari, quae in elegiaco displiceant: contra convenire quaedam verba tenuitati blanditiisque elegiae, quae satis inepte heroico carmini intexerentur. Quare interpretibus veterum poetarum diligenter videndum est, non solum quid quisque dixerit, sed etiam quo quidque loco. Inculcandus iuuenibus etiam hoc sensu est ille, qui syluam continet praeceptorum, versus:

Singula quaeque locum teneant sortita decenter.

Verum non magis hac in re ii peccant, qui carmina scribunt, quam qui pedestri sermone vtuntur. Dixit Cicero in orationibus multa, quibus omnino ineptus locus a nostris hominibus vulgo datur. Nam dum ille ad Senatum Populumque, tum orbis dominum, de rebus grauibus dixit, rerum cum grauitate surrexit altius oratio, animoque concitato audacter nonnulla orator protulit, quae eo in loco, eaque in causa laudem habent, sed quae si considerentur a reliquo corpore diuulsa

vitiosa

vitiosa videantur; aut, si ad dissimile causarum genus transferantur, non careant reprehensione. Contra si quis locum daret in magnifico orationum genere verbis formulisque, quibus vsus fuit in libris de philosophia, vbi tenui filo omnia contexuit, non pauca verba ipse ad Graecorum imitationem inuenit, non minus is peccaret. Quae cum ita sint, nil magis corrumpit rectam de oratione iudicium vulgaribus illis Lexicis, quae cum verba offerant et formulas Ciceronis, Horatii, aliorum, qui varia admodum et diuersa carminis orationisque genera tractauerunt, non tamen admonent puerum, qua in oratione, quo in carmine illa quasi sedem habeant. Hinc contrahunt iuuenes genus scribendi tumidum et inflatum, inaequale, vno verbo, ineptum; hinc corrumpitur rectum de forma orationis iudicium. Sed redeamus ad *Mullerum* nostrum.

Odis ille adiunxit carmen satis longum, hexametris versibus compositum. *Incendium Annabergae* inscriptum est. Redolet illud Claudiani imitationem, multis verbis sonoris exornatum. Laudamus verborum, quibus incendium pinxit, copiam, et imaginum varieta-

 tem.

tem. Sed, vt fit, vbi pictores, fiue penicillo illi vtantur, fiue verbis rerum naturam imitentur, nil aliud agunt, quam vt pingant, et ingenium modo fuauiter afficiendi, non animum mouendi, arte et facultate pollent, fic quoque hoc carmen femel lectum placet, fed vix nos inuitabit ad iteratam lectionem. Sequuntur tria carmina, etiam hexametris compofita. Sed nos properamus ad Elegias, nam illa carmina non diu animum tenuerunt. In elegiis facilitatem fermonis, numeros fponte fluentes, verbaque vndique quafi fua fponte confluentia, non fine voluptate obferuauimus. Inprimis placet *Epithalamium*, quod, fi exordium abeffet, nimis fcholafticum, et plane alienum a reliquo lepore, non inuitum lecturum effe credo Ioannem aliquem Secundum. Certe et Latina et iucunda funt illa:

p. 130. Cinge triumphali tua tempora, fponfe corolla,
En iacet in molli praeda petita finu.
Fortunati ambo! nunc ofcula mille figuris
Iungite, quae liuor non numerare queat.

Eft

Est aliquid, recubare thoro sponsumque
tenere,
Gaudiaque alternis sumere mille modis.
Illa quidem pugnabit atrox reprobumque
vocabit,
Constituetque moras iniicietque manus.
At tu nil rigido cedas de iure mariti,
Nauigat in portu spes tua, rumpe moras.
Quod male persuades, fac si bene cogere
possis,
Esse nouis nuptis vis ea grata solet.
Pugnant, sed pugnant, tanquam quae vincere nolint,
Quodque negant precibus; si bene cogis, habes.
Oscula iam sumes, nec sumes oscula tantum,
Mirifice quamuis haec quoque sumta iuuent;
Argutis aliud quiddam promittit ocellis
Eia age, rumpe moras, tempora noctis
eunt.
Es vir et es iuuenis, fac te iuuenemque
virumque
Sentiat, haec aetas mobilitate viget.

 Expu-

Expugnare docet validas munimina lance (*),
Frangas et extantes dura balista fores.
Vi via rumpatur, nunc fortius vtere neruis,
Gradibus exuuiis donec onuſtus eas.
Donec languidulos ineuntem corpora ſomnos
Te fouet in tepido dulcis amica ſinu.
Somnus adeſt, ah! ſomnus adeſt, date membra quieti,
Et ſopor exiguus corpora feſſa iuuat.
Poſt horam te punget acu (**), ſegnemque vocabit,
Et tua quis, dicet, pectora torpor habet?
Iam tibi blanditias, iam gaudia mille parabit,
Oſcula iam figet de meliore nota.
Cumque ſua te palpatque manu tractatque ſubinde
Membra per occultas illa vel illa vias.
Tu tibi ſuo conſtes, ſopitus collige vires
Eia age, rumpe moras, Phoſphorus ecce redit.

Non

(*) At errauit poeta: non *lance*, ſed *lancea* haec fiunt.

(**) Acu pugnare Thracum eſt, o puellae, tollite barbarum morem, et acum facilis prohibete tactis.

Non ita difficiles aditus, velut ante fue-
runt,
Itur ad introitum liberiore via.
Ludite felices, aeterno brachia nexu
Iurgite, et alterna ſemper amate vice.
Et ſi Luna nouum nouies impleuerit
orbem
Infans in cunis pignus amoris erit.

Non explicabit frontem, ſi Catonum quisquam haec legerit, licet praefixerit Auctor καθολικὸν θεώρημα: *Vita verecunda eſt.* etc. At quid impedit, quo minus ſermonis Latini veneres agnoſcamus, et Ouidianae elegantiae imitationem?

Ne laudaſſe videar auctorem nimium, libere quoque notabo, quae offendere poſſint ſeueriorem cenſorem.

Primum igitur non vbique ſeruauit Auctor Latini ſermonis puritatem. Adhibuit enim verba, quae aut plane ignota fuerunt Latio, aut ſequiore aetate inualuerunt. Huc pertinent ea: *Fama bracteato curru volans* (quo verbo Sido- p. 5.
nius et Auſonius vtuntur) *dogmata*, (quo p. 16.
verbo ipſe Cicero in philoſophicis libris timidiuſcule vſus eſt) *Virtus decorata iſcientiis* (*ſcientiam* Latini norunt, *ſcientias* inuenerunt recentiores) *Zeloteſ*, p. 19.
(quod

(quod verbum est ecclesiasticorum scri-
p. 18. ptorum proprium) *lux onomastica:* (hoc verbum omnino peregrinum et barba-
p. 26. rum est) *caelicus, Episcopus:* (nonne haec deteriori aetati relinquenda erant, quae carmen lyricum deformant?) An
p. 27. verbum *fascinatrix* idonea auctoritate firmetur, nescio. Hoc scio, Nostrum,
p. 28. dum dicit: *Accensa coelo Christianis Exoritur Cynosura rebus,* alioquin *lotos nobis esto in dubiis Cynosura rebus,* non veterum exemplum sequi. Recentiores sic loqui solent. *Pulsis ad orcum*
p. 31. *traditionibus,* Grammatico Gellio non invideo, in poeta non laudo. Displicet
p. 32. *purificatur,* at multo magis displicet, *armis spiritualibus.* Verbum *contra-*
p. 40. *riare* licet Borrichius Vitruuii et Hygini auctoritate defendat, non tamen decebat illud poetam. Multa ecclesiastica verba
p. 92. occurrunt potissimum in Elegia, quae *Paraenesis* inscribitur, satis illa pie, sed parum Latine scripta. Vna cum sententiis doctorum ecclesiasticorum multa quoque verba eorum adhibuit.

Porro, dum auctor antiquae mythologiae opibus exornare versus voluit, non cogitasse videtur semper, *quid deceat?* Non reprehendo deorum ministeria in

in versibus, quorum argumentum nulla doctrinae Christianae vestigia habet. At si Christianorum deum Romanorum Graecorumque diis iungo; vt nihil aliud dicam, nunquam apposite ad persuasionem dicam. Quod cum poetae inprimis propositum esse debeat, qui mouere vult lectorem varieque afficere, nonne cauere debet, quae, quominus animi ad voluntatem poetae moueantur, ideo impediunt, quia repugnantia videntur, quia probabilitatem nullam habere possunt, coniuncta cum iis, quae vera sunt. Sed *Mullerus*, vt alii multi, sacra profanis miscuit.

Huc pertinet oda tertia, inprimis vero carmen de incendio Annabergae. Nam in hoc de vero Christianorum deo, tanquam scelerum vindice omniumque rerum auctore, loquitur, atque etiam de *praestigiis Satanae*. Quae qui legit praeter exspectationem opinionemque in hos versus incidet: p. 7. p. 58.

Hos miserans casus, timidos Titonia lampas
Retro flectit equos, tantisque exterrita monstris
Pallet et ambiguum spargit per nubila lumen.

Monti-

Monticolae fleuere dei, Satyrique petulci
Et Dryadum cessant choreae, gemitusque sequuntur.
Atque Deus, qui rura tenet, montemque Pelorum
Igne laborantem cum late viderat vrbem,
Muscosumque caput sopitaque lumina tollens,
Faunum ad se Dryadesque vocat, fletuque soluto
His tandem adgreditur dictis etc.

p. 76. At multo magis mirabitur, qui legerit carmen, quo *descensus Christi ad inferos* celebratur. Nam in eo *Ditem*, *Erebi fornaces*, *Phlegetonteum venenum*, *Acheronta*, *Tysiphonem vltricem*, *murmura Cocyti*, *Acherontaeae squallentia monstra paludis* et alia occurrunt.

p. 82. Quid? quod Christus eiectis coelo geniis dicit:

Qui freta, qui terras, coelique decemplicis orbes,
Et freta quicquid habent terraeque et quicquid Olympus,
Ex nihilo propria quondam virtute creavit,
Vos quoque produxit coeli melioris alumnos,

Et

Et dedit Elysios campos, sedesque beatas
Incolere, atque epulis magnorum accum-
bere Diuum.

Male haec defenduntur exemplis Sanazarii et aliorum, quorum carmina eandem reprehensionem easdem ob causas incurrunt. Nullum ornamentum placere potest, cui natura rei ipsius, quam exornare cupio, cui reliqua, quae adsunt, plane aduersantur.

In sene non acriter reprehendo lusus quosdam, quos Musa senilis sibi indulgere solet. Eorum aliquot exempla praebent *epigrammata*, quae Elegiis addidit, veluti vbi e similitudine verborum, *pontifex*, *pannifex*, *carnifex* aliquam iocandi materiam repetit. Fallor? an ad eiusmodi argutias referenda quoque est vltima carminis primi de pace restituta stropha: p. 140.

Paeana cantant cum pueris senes: p. 7.
Terras in alma pacis odorea,
Cursuque fatorum benigno
Lilia nos *Aquilaeque* seruent!

Difficulter abstinent viri etiam docti, sed seniores, ab his ingenii, vt putant, amoenis speciminibus, quae patrum aetate a multis laudari recordantur. Sed

dabit his quoque finem eorum, qui de his melius iudicant, sententia atque auctoritas.

Hoc vnum addam. Scimus, poetas excurrere liberius in laudes eorum, quos celebrant, atque verborum splendore illustrare res non adeo magnas. Scimus et hanc veniam lubenter damus. Sed nisi modum tenuerit poeta, risum mouet. Id quod nobis poene accidit secundum carmen legentibus, quo Auctor sacrorum antistiti nouum munus gratulatur. Totum enim terrarum orbem conuocat, atque, vt verius dicam, non superos modo, sed Acheronta quoque mouet. Qualia videntur haec:

Hauriat nostros procul vsque Thule
Hauriat cantus, Dolopumque gentes
Audiant, et qui prope fabulosum
Potat Araxen.

Immo posteaquam nouem sorores, heu! nimis, dum toties turbantur, infelices puellas! inuitauit, ad inferos quoque rem hanc pertinere narrat.

— — lacrymosus orci
Arbiter squallet, Stygiasque Pluto
Pallet ad vndas

Sentit

Sentit, ah! sentit sibi sceptra sumi,
Et videt per se furias cruenta
Exui larua, rapidoque manes
Concitat oestro.

Vix Saxonia audiuit, quae in angulo aliquo acciderunt. Quomodo *Mullerus* rei rumorem ad Musas, ad Plutonem, ad remotissimos populos perlatum esse aut sibi aut aliis persuadere potuit?

III.

Museum Schoepflini: recenset Ier. Iac. Oberlin, AA. LL. M. I. Lapidarium.

Argentorati, ex prelo Ionae Lorenzii, typographi, MDCCLXX. pagg. 50. acc. tabul. aen. 3. 4.

Pleraque horum monimentorum iam proposuit clarissimus ob doctrinam egregiam Schoepflinus in opere illustri, quod *Alsatiae illustratae* nomen praefert. Eadem cum aliis nonnullis, quae post accesserunt, hoc in volumine quoque, ipsius Schoepflini explicationibus repetitis, apparent. Exhibet illud lapides antiquos, Romanos omnes, cum litteris titulisque insignitos, tum ornatos figuris,

Sequuntur medii aeui, vt illum, reliquiae, statuae Rudolphi Habsburgici, Imp. et Gualtheri, Episcopi Argentoratensis, quibus titulus Iudaicus sepulchralis additus est, vix dignus ille, qui consideretur. nam nil memorabile narrat. Vltimo loco posita sunt duo monimenta recentiora, alterum Io. Mentelii, scribae primum aurarii et miniarii, tum Episcopi notarii, quem inuentorem artis typographicae quidam falso existimauerunt, alias a Schoepflineo iam datum. alterum Sebast. Brandii, non ignoti, nec iniucundi suae aetatis poetae, *Nauiculae stultorum* auctoris. Neque haec monimenta historiam adeo iuuant, vt alicuius momenti esse videantur.

Inter reliquos lapides animum allicit is, qui, in fano Lotharingiae S. Naboris repertus, titulum hunc praefert:

DEAE DEIRONAE
MAIOR MA
tab. I. n. 2. GIATI FILIVS
V. S. L. M.

Nullo alio in lapide Deae Deironae fit mentio. Ipsius quoque facies non minus memorabilis est, "Imaginem, ait Vir Cl. qui explicationem Monimentorum adgressus est, Deae plane singularem, affert.

Pectore

Pectore tenue repraesentatur, rigidis comis, supra frontem in cincinnos assurgentibus, indeque ad aurium regionem vsque defluentibus, a quibus dein ad apsidis, in qua tota effigies sistitur, marginem transuersim diducuntur. Collum pectusque tota vestis tegit, ita adstricta, vt vix plicas vllas videre liceat; paenulum arcto collari instructum haud male diceres. Huic iconi similem nusquam reperire contigit." In memoriam tamen facile reuocat haec facies Isidis simulacra quaedam, eodem capillorum habitu conspicua. Ipse vero sibi Dianam cognoscere videtur, Deironamque siue Dironam eandem esse putat, quae *Sirona* audit in lapidibus quibusdam, vbi fratri Apollini iungitur. vide *Gruteri Inscripti* p. XXXVII, 10, 11. Quam vero dedit nominis rationem, eam non puto probaturum esse Hagenbuchium viris doctis. Nimis ille ad remotiora et peregrina recedere videtur, dum ex Hebraico sermone verbi originem repetit. Cogitabam ego vnice de *Siris*, id est, de speluncis, quibus frumenta condebantur. Dabo duo loca auctorum: primum Varronis (*): *Item huius generis* granaria

 alia

(*) *de Re Rust.* I, 57.

alia quidem habent sub terra; vti speluncas, quas vocant Siros: alterum Columellae (*): *Transmarinis quibusdam prouinciis puteorum in modum, Siros exhausta humus editos a se fructus recipit.* Iam in vtroque lapide Sirona adiungitur *Apollini Granno*, quem sic dictum putant a granariis. Quam belle igitur granaria haec conueniunt Siris? Vtrumque numen frumenti custodiam quia gerere credebatur, inde nomen quoque singulare nactum fuit. Sed meliora qui dederit, et acutiora, is a me primo omnium laudem, plausumque auferet. Cl. *Oberlinius* coniecturam protulit sane acutam. Suidae σεὶρ σειρὸς est ἥλιος, sol: vt vero a Phoebo, Phoebe, a Cynthio Cynthia, sic etiam a Σεὶρ Σειρόνη, luna, ei videtur esse dicta: praesertim cum littera S et D apud Graecos saepe vices permutent.

tab. II, 1. De anaglypho, quo putat V. Cl. exhiberi equitem trahentem post se captiuum, alia fere nobis sententia suborta est. Obuersantur enim animo monimenta, quae Amazonum pugnas exhibent (**). Quae

(*) I, 6, 15.

(**) vnde inprimis Montfaucon *Antiqu. Egypt.* T. IV, pl. 72.

Quae si compararieris cum hoc monimento, quantam inuenies imaginum similitudinem! Ipse tamen fateor, et aeuum, quo hoc monimentum confectum esse apparet, et locum, vbi inuentum fuit, parum nostrae opinioni fauere.

Non praeterimus fragmentum lapidis tab. II, 3. votiui, Antonino et Geta Coss. positi, qui clare testatur, quod veterum scriptorum nullus sat clare commemorauit; quantum Getae memoriam nomenque omne extinguere studuerit Caracalla, quem soceri, L. Fuluii Plautiani, nomen saxis omnibus erasisse multis exemplis docuit Fontaninus. Hic vero lapis, vt alii nonnulli, ostendit, non Plautiani nomen vbique substituendum esse, id quod Fontaninus existimauit, sed Getae quoque, id quod ille negat, variis argumentis prolatis, inprimis ob simulatam ab Antonino fraternae memoriae reuerentiam. Titulus vero hic est:

LEG. VIII AV::
V. S. L. L. M.
IMP. ANTONINO
II ET G.:: .E. COS.

Prima littera nominis Getae adest: adest littera C, quae Caesarem notat, nec

 Plau-

Plautiani nomen in lapide ob spatii angustiam locum habere potuit.

De reliquis monimentis non opus est ut aliquid addamus. Nullum enim lapidem ideo magni aestimamus, quia antiquus est, aut a Romano lapidario caesus; nisi ille aut praeferat titulum, quo historia antiqua sermonisque Latini indoles illustretur, aut habeat ornamenta alia, artis, quam ostentat, solertia commendabilia.

IV.

Dissertatio de Simonide Ceo, Poeta et Philosopho, quam, secundo Dei Opt. Max. numine, Praeside *Ryckl. Mich. van Goens*, S. Caes. Reg. et Apostol. Maiestat. Consiliario; Hist. Eloq. AA. et L. Graecae in hac Acad. Prof. Extraord. d. XV. Iun. H. L. Q. S. publico commilitonum examini disceptatorio subiicit auctor *Petrus Gerardus Duker*, Traiectinus.

Traiecti ad Rhenum, ex offic. Broedelet, 1768. pagg. 110. 4.

Quatuor capitibus hic liber absolvitur, qui, si verba spectes, elegantius poterat

poterat scribi atque facundius, si argumentum consideres, raram praefert diligentiam veterumque litterarum studium egregium. Dignus fuit hic libellus, cuius defensioni praeesset *Goensius* noster; amoenissimi ingenii vir, nec indignum sua disciplina a *Dukero* accepit doctrinae specimen. Nos quidem eo libentius huius libri mentionem facimus, quo rariores in Academiis tam docte, tam accurate scripti de rebus antiquis libelli evulgantur.

In *cap. I.* recensentur ii veterum, qui de vita Simonidis exposuerunt, Protagoras, Palaephatus, Tryphon, Chamaeleon inprimis, de quo Auctor verbose agit. nam clarum fuit illius nomen apud veteres, non paucis libris philosophici, theologici, historici et grammatici argumenti editis, multa eius in veterum scriptis mentio. Auctor illius scripta, quae temporis iniuria periere, commemorat, notatis et emendatis aliquot doctorum virorum erroribus.

In *cap. II.* ad aetatem, qua Simonides vixit, progreditur, examinatis Chronicorum veterum locis, falsisque quorundam opinionibus refutatis. Cum etiam in definienda aetate virorum, non tam p. 13.

reipublicae administratione, quam doctrina et ſcriptis clarorum, multae difficultates ſuboriri ſoleant, quomodo iis occurrere poſſimus, docet. Quod autem ad Simonidem attinet, adhibet inprimis Marmor Parium, venerabile illud antiquitatis monimentum, quod non ſolum vetuſtate excellit, ſed publicorum quoque annalium quaſi vim auctoritatemque habet. Multum totam rem illuſtrat *Tabella Chronologica*, quam Auctor propoſuit, e qua omnia, quae ad Simonidem ſpectant, ex hiſtoria illorum temporum, ſuis quaeque annorum notis ſignata, cognoſci poſſunt. Ea vero omne illud temporis ſpatium ab Olymp. LV. anno II. vsque ad a. IV. Olymp. LXXXII. complectitur. Nil omiſit Auctor, quod lucem affundere poſſit argumento, et, quod nobis valde laudabile videtur, aetatem eorum, quibuscum vixiſſe dicitur Simonides, tam virorum principum, quam celebrium et doctorum hominum, ſolerter obſeruauit. Bene quoque diſtin-
(1) guit Simonidem iuniorem, etiam Ceum,
p. 25. Poetam et Genealogum, a ſeniore Simonide, Leoprepis filio, Hyllichi nepote, iunioris aua.

Cap.

Cap. III. vitam Simonidis complecti- p. 38.
tur, inde a natalibus vsque ad mortem.
Videmus igitur, illum Athenas abire et
Hipparchi fauore florere: celebritatem
sibi scriptis comparare; inimicitias exer-
cere cum Laso, a Themistocle coli, sed
Timocreontis odium sibi contrahere:
Aeschylum vincere: Spartam se confer-
re: tum in Thessaliam proficisci ad
Aleuadas: in Siciliam ab Hierone euo-
cari, et Syracusis sepeliri. Quae qui-
dem omnia ab Auctore sic exponuntur,
vt vbique scriptorum veterum testimoniis
vtatur, nec paucis eorum locis lucem
affundat.

In *cap. IV.* de inuentis Simonidis agit. p. 72
Huc refert primum litteras Graeco alpha-
beto additas. Quae res satis obscura
ob diuersas veterum narrationes, dispu-
tationibusque Ios. Scaligeri, Salmasii,
Vossii, Buhierii, Spanhemii, aliorum
magis impedita quam explicita, vt clarius
intelligatur, vetustissimum Graecorum
alphabetum illiusque augmenta, a Pala-
mede et Epicharmo profecta, recenset,
Simonidi vero litteras Z. Ξ. H. Ω. tri-
buendas, tanquam inuentori esse censet.
Quo loco cum aliorum opiniones exami-
nantur, tum refutatur Winkelmannus, p. 86.

 heu!

heu! olim noster, qui anaglyphum antiquum, quod praefert titulum ΚΑΛΛΙΜΑΧΟΣ ΕΠΟΙΕΙ antiquiori aetati tribuendum esse negauit, quia littera X. a Simonide demum inventa sit (*). quam tamen longe esse vetustiorem, et Palamedis saltem inuentum, Noster docet. Alterum Simonidis inuentum fuit Ars memoriae, τὸ μνημονικὸν, vt in marmore Pario vocatur. De quo quae veteres memoriae prodiderunt, Auctor repetiit.

Vellem Auctor reliqua, quae huc pertinent, eadem diligentia perficeret. Hic enim libellus tantum pars est aliqua maioris operis. Restant multa, quae ad ingenium et mores Simonidis, ad praeclare ab eo dicta, ad fragmenta, quae restant, Simonidis, spectant. Quae quidem omnia non sine fructu explicare poterit ille. Nam praeter tot scriptorum, qui frequentem Simonidis mentionem faciunt, illustrationem, quam non potest non eiusmodi disputatio adferre, operae profecto pretium est, illum virum cognosse, quem tanquam poetam felicissimum acutumque Philosophum veteres auctores toties laudant. Est quoque historia

(*) v. *Geschichte der Kunst.* P. I. p. 219.

historia Simonidis arcte contincta cum publica illorum temporum historia, multaque illius examen praebet, quae Hipparchi, Athenarum tyranni, quae Pausaniae, Spartanorum regis, quae Hieronis historiam illustrent. Denique verissime mihi videtur Auctor de eorum opera iudicare, qui illorum, quorum scripta amissa sunt, auctorum memoriam renouare student. "Si consideres, inquit, quam legitimus nobis recentioribus dolor subnascatur, quoties ad ingentem illam iacturam attendimus tot praeclarissimorum in omni genere monimentorum, quorum praestantiam e paucis quibusdam fragmentis residuis iudicare licet, nonne fateri cogeris, maximam de nobis gratiam inire eos, qui, omnes lacinias colligendo, iacturam illam, quantumcunque fieri nunc quidem potest, resarcire conantur, et praeferendos esse illis, qui thesauros, quos habemus, simplici quadam ostentatione nobis ob oculos ponunt, quod hi faciunt, qui vitas enarrant scriptorum, quorum integra ad nos opera peruenerunt, e quibus ipsis melius ingenium ipsorum censeri potest, quam ex omni compilantium tractatione." p. 3.

V.

Specimen Academicum, exhibens obseruationes nonnullas apologeticas pro Iureconsultis Romanis ad locum Ciceronis in oratione pro Murena, capp. XI-XIII. princ. quod — pro gradu doctoratus — eruditorum examini submittit *Ioannes Luzac*, Ioan. Fil. Leida. Batauus.

Lugduni Batauor. ap. Io. Luzac, 1768. pagg. 117. 4.

Non poenitebit addere Dukeriano libro alium, etiam Academicum, nec minore laude dignum. Nam illius auctor summam nobis de ingenio et doctrina sua opinionem attulit. Inest, fatemur, in vbertate scientiae, quam liber praefert, redundantia et luxuries quaedam, quam depascet procul dubio aetas virilis. Sed in iuuene non solum feruntur sed laudantur quoque vberiora paullum, nisi re et maturitate, spe tamen et exspectatione certissima. Siccitas illa et tenuitas, quam multi se amare simulant, plerumque affectatione ipsa seueritatis inuisa est, nec raro non tam consi-

lio

lio eligitur quam ipsa necessitate imponitur auctoribus, qui, cum, quam pauperes sint, intelligant, diuitiarum tamen contemtum alto supercilio prae se ferunt, ne inuiti carere videantur iis, quae magni aestimant. Nonne *Lessingius* noster, Montfauconio vnico satis beatus, Dialectica se Baumgarteniana inuoluit, sannaque prosequitur opulentiores, vt solent, *quas nemo rogauit*, castissimae matronae pulchriorum virginum venustatem et loquaces oculos et mammas sororiantes maleque tectas nebula linea non sine singultu accusare; vt, qui atrum panem ex hesterno iure comedunt, inuehuntur in lautitias diuitum epulasque, quas ipsi oculis deuorant. Eiulabant nuper lugubriter *Wichmanniani* fratres, *Criticos* Burgundicis vinis Genium placare, *Anticriticis* siti pereundum esse. Sed hi tandem placide exspirauerunt orcoque reddiderunt animum. Nos vero etiam mittamus virum illum, impallescentem nunc Patrum ecclesiasticorum scriptis, quae si legendi intelligendique sibi scientiam facultatemque compararierit, quid vero non aliquot Lexicorum ope efficere possis? hem! quantas excitabit tragoedias! Ad libellum nostrum redeamus.

Multis

Multis displicuit Ciceronis oratio pro Murena. Alii enim, quia se triduo ICtum fore professus fuit, gloriosius locutum fuisse questi sunt, alii eum Iureconsultis reliquis, quibus eos pupugit, iocis summam iniuriam intulisse, dixerunt. Immo fuerunt, qui, magnis maliisque naeuis laborasse Iurisprudentiam Romanam, Ciceronis verbis ostendere vellent. Vsi sunt, vt Romanos ICtos vituperatione magis, quam laude dignos fuisse nobis persuaderent, hoc loco Thomasius, Boehmerus, Grauina, alii. Cl. igitur *Lunaecius*, qui, quid sentiendum sit de iis, quae contra ICtos Romanos dixit in ea oratione Cicero, examinare constituit, primum
p. 15. in *Cap. II.* totum locum Ciceronis proposuit. Quae in Ciceronis oratione obscura iudicaret, explicuit, additis animaduersionibus, quarum pars aliqua virorum doctorum, qui Ciceronem interpretati sunt, e commentariis excerpta est. Ipse quoque de vera locorum lectione sententiam dicit. Nonnulla etiam alia attingit. Quaestionem, vt hoc addam, examinat, vtrum
p. 18. Cn. Flauius iam aedilis fuerit, cum Actiones legis et Fastos populo traderet, an ob hoc plebi gratissimum munus Aedilis demum factus fuerit. Ipse vero eum post

post Iuris ciuilis proditionem Aedilitatem nactum fuisse putat. Neque praeteriit, vt facile conlici potest; silentio controuersiam inter viros doctos agitatam, de *notis*, quos Cicero a ICtis *compositas* fuisse dicit. Noster vero Cl. *Ernestio* in quibusdam assentitur, aut Camerario potius, (nam hic est Ernestianae sententiae auctor: quemadmodum multa in Claui Ciceroniana non Ernestio, sed aliis debentur) in quibusdam ab eo recedit. Ciceronis dicit eam esse mentem: vulgatis a Flauio Actionibus, ICtos, veritos, ne sine sua opera lege posset agi, nouas Actionum formulas, antea non adhibitas, excogitasse, composuisse, et has Actiones signis siue notis scripsisse. Sic diuersas sententias virorum doctorum atque certamina componere studuit Noster. Ceterum putat, totam hanc de nouis formulis, notis, earumque noua proditione, querelam a nemine veterum, praeter Ciceronem, memoratam, parum fide mereri. Praeterimus alia. p. 21.

Loco hoc, quo accusatio ICtorum Romanorum, tanquam fundamento, nititur, explicito copiose et accurate, Auctor in *cap. III.* quid de his criminibus sentiendum sit, exponit. Omnia quae p. 34.

Auctor

Auctor contra Ciceronem, aut potius contra eos, qui Ciceronis auctoritate ad ICtos Romanos vituperandos abutuntur, protulit, eo redeunt. Primum ait, tota illa opinio, quidquid in Iurisprudentia Romana, e subtili Iuris ratione ortum, habeatur, inprimis autem Fictiones et Formulas, originem duxisse ex impotenti Patriciorum dominandi libidine et ICtorum fraudulentia, incaute ornatur stabiliturque vna Ciceronis declamatione eaque nullo teste, nisi male intellectis quibusdam lateri Pomponii verbis confirmata. Longe vero, pergit, imprudentissime hac in re agunt, cum constet, nunquam, nisi perspecta probe veritate fidem esse habendam oratori, qui mendacia fingere sibi licere putabat. Ipse praesertim Cicero oratorem mendaciunculis vti iubet, quoties aduersarius lepide sit irridendus aut iudices a seueritate paullisper ad hilaritatem traducendi. Id quod inprimis in caussa Murenae euenit. Dicebat enim Cicero contra viros, quos vix poterat serio sermone refellere, nisi amicitiam violare vellet. Praeterea εἴρων et vrbanus esse Cicero voluit, cuius studii specimen et documentum praebet haec oratio. Magis etiam reprehendendi

di fuit viri; Romano hunc infestiorem ideo, quod e verbis aduersarii argumenta inaniter mouerit contra ICtos petunt. ICtus enim non erat Cicero, nec esse poterat, ob alia negotia. Et tamen hanc laudem reliquis laudibus adiungere cupiebat. Atque hinc Menagius illi motus fuit aduersus ICtos. Nam Cicero nimia interdum aemulatione laborabat, maxime autem Sulpicium aemulatus fuit, adeoque arti, qua ille excelluit potissimum, detrahere conabatur. Denique male agere Auctor ostendit viros doctos, qui vnum hoc Ciceronis testimonium contra ICtos arripiant, plura vero alia, illis honorifica, negligant. Nam ex Tullii scriptis appareret et vniuersam docere Romanam historiam, omnium Romanorum excellentissimos, iustissimos, sapientissimos, verae virtutis tenacissimos fuisse ICtos.

Quia vero Cicero ICtis praesertim for- Cap. I
mulas et fictiones obiecit, tanquam inuti- p. 70.
lia et noxia plebis decipiendae instrumenta, de his Auctor in *Cap. IV.* sic agit, vt earum naturam describat, et rationes recenseat. Nihil, inquit, aut indoles aut vsus fictionum iuris habet, quod eas perniciosas reddiderit, aut earum caussa

 ICti

ICti tanquam fraudulenti earum inuentores excogitasse putentur. Omnes enim fictiones bono consilio inuentae fuerunt, vt strictum ius ciuile leniretur, aut horridae priscaeque leges illaesae euitarentur. In omnibus igitur fictionibus elata est aequitatis, vtilitatis, necessitatis ratio. Nulla fictione legum vis dolose et ad Reipubl. perniciem minuta fuit, nam omnem fraudem periti improbarunt. Hoc apparere putat ex venditionibus imaginariis, iisque licitis, si iustae vtilitatis caussa, illicitis, si fraudis gratia celebrarentur. Neque in natura, dicit, et moderato vsu formularum aliquid est, quod reprehendi debeat. Omnes veteres et rudes populi solemnes ritus amarunt, ipsique etiam veteres Romani. neque adeo ICti soli hoc nomine accusari et vituperari debent. Formulae lites efficiunt et pauciores et breuiores: in republ. vero libera sunt
p. 88. pernecessariae.

Immo longius progreditur Auctor, primamque docet in *cap. K.* caussam fictionum et formularum repetendam esse a religione Romanorum, ab Albanis et Etruscis, populis rituum aman-
p. 110. tissimis, acceptam: alteram a studio, quo ciuitatis suae ius extollere conabantur Romani.

mani. Hanc caussam in *cap. VI.* explicat. Sed non omnino totam perfecit de caussis fictionum et formularum disputationem, quam se alio tempore ad finem perducturum esse promittit. Vsus fuit, vt par est, in hoc argumento tractando cum Dadini Alteserrae, tum Heineccii nostri, de *Fictionibus Iuris* et de *Iurisprudentia formularia* libris. Sed facile patet, ex communibus fontibus non pauca hausisse eum.

Viam sibi strauit doctus Auctor ad accusationem Ciceronianam excutiendam in *Cap. I.* eorum examine, quae Christian. Thomasius de naeuis Iurisprudentiae Romanae scripsit. Qua in re illum calidius quam verius versatum fuisse, ostendit. quae opinio etiam fuit aliorum, qui sine partium studio iudicarent. Neque enim Thomasius, vir praeclarus et de genere humano multis modis immortaliter meritus, satis cognitam habuisse videtur Remp. Romanam, neque satis diligenter veteres scriptores legisse. Atque etiam bilem mouisse videtur viro ingenioso, sed magis ingenio quam antiquitatis scientia instructo, nimia, qua tum quidam Ius Romanum prosequebantur, admiratio. Duos inprimis naeuos,

quibus Iurisprudentiam Romanam commaculauit Thomasius, Noster delere studet. Nam quod Thomasius dixit, Iurisprudentiam Romanam non potuisse non mancam esse et debilem, cum, quod eiectis regibus simul omnes leges Regiae exoleuerunt, tum, quia leges XII. tabul. a Graecis petitae fuerint, vtrumque accusationis caput egregie refutat Auctor, vsus argumentis maxime idoneis. Atque etiam optat, "vt ex doctissimorum virorum numero aliquis omnes hos Iuris Romani naeuos (quantum quidem sine veri detrimento fieri possit), sibi delendos sumat, ne magni et optimi viri cauillatoria dicta Ius nostrum irridendi amplius materiam praebeant, et illa caussa patrono diutius carere videatur." p. 11.

Lubet paucis sententiam nostram de hac controuersia, quae praeter necessitatem a quibusdam excitata nec satis perite agitata fuit, addere.

Equidem certissime mihi persuasi, quaecunque Cicero dixerit, ab eo nullo alio consilio dicta esse, quam vt caussae inseruiret. Atque huius sententiae auctorem habeo Ciceronem ipsum, qui, quo animo ICtos irriserit et vituperauerit, clarissime

rissime: alio tempore fassus est. *Non ego, inquit* (*), *tecum iam ita loquar, ut iisdem his de rebus, cum L. Murenam, te accusante, defenderem, apud imperitos tum illa dicta sunt: aliquid etiam coronae datum: nunc agendum est subtilius.* Miror, viros doctos rixari atque ex ea oratione tela atrocissima contra Romanos ICtos petere, quam in luculento Ciceronis ipsius testimonio conquiescere maluisse.

Hi motus animorum atque haec certamina tanta
Pulueris exigui iactu compressa quiescent.

Illis enim verbis, quae non possunt non verissimi testimonii vim habere, consideratis, clare intelligitur, Ciceronem alterum accusationis caput, quod in contentione dignitatis positum erat, non melius se eleuaturum esse putasse, quam irrisis ICtorum et reprehensis moribus studiisque. Quid enim Cicero de Iure ciuili senserit, quam praeclare existimauerit de ICtis Romanis, saepius professus fuit, vbi nec mentiendi nec simulandi dissimulandique causam habebat. Carere igitur possumus omnibus conie-

 cturis,

(*) de Finib. Bon. et Mal. L. IV. c. 27. 74.

ctoris, cur Cicero ICtos exagitauerit, ab inuidia et aemulatione ductus, immo tota hac veterum ICtorum defensione, quam Cicero ipse suscepit, dum, quae illis obiecit, omnia tempori et causae data esse fassus est, carere possumus. At inuiti careremus Luzacii eleganti et docto libello, quo tanta eruditionis copia continetur, quo antiquitatis nonnulla capita egregie illustrantur.

VI.

Elogium Cornelii Valerii Vonkii (*).

Non sine acerbo animi dolore has quasi inferias soluimus Manibus *Vonkii* nostri, viri ingeniosi, multarum rerum scientia instructi, honesti, probi, vno verbo, longissima, quam hominum conditio patitur, vita dignissimi. Lugemus enim non solum mortem viri, nobis, dum viueret, amici, vt erat ille hominum amantissimus, sed iacturam quoque deploramus singularis litterarum nostrarum ornamenti, quod ex oculis nostris subla-

(*) conf. Strodtmanni *Neues Gelehrtes Europa* P. I. p. 255. sequ.

sublatum esse atque de medio discessisse, quis est antiquae doctrinae adeo inimicus, qui non doleat? Sed non discessit ille a nobis, cuius in nostro animo memoria viget vigebitque cuiusque nomen, egregiis libris consecratum, nunquam interibit, dum his litteris suus honos integer manebit suaque laus. Nam Graecarum et Latinarum litterarum scientia in eo erat praeclarissima: magna cognitio antiquitatis omnis, non exiguum historiae studium, artis Criticae peritia vsusque multus.

Has ille virtutes in libris suis expressit, qui Critices specimina luculenta exhibent. Cuius doctrinae documenta dedit admodum iuuenis. Nam Traiecti euulgabat *Specimen Criticum in auctores varios*, (a. 1739), quo egregiam de se spem viris doctis iniecit. Quam auxerunt valde, qui subsecuti sunt (a. 1748.) *Lectionum Latinarum libri duo*, quibus eosdem non vano augurio ductos optima quaeque de se exspectasse ostendit. Vtriusque libri argumentum Criticum est atque ad emendationem scriptorum spectat. Illud vero Critices genus *Vonkius* amauit, quod non codicum antiquorum comparatione, sed coniecturarum ingeniosa varietate con-

corruptos a librariis veteres auctores emendare conatur. Quemadmodum illa ars animum laboris patientissimum, ad omnia attentum, apices omnes examinantem, postulat, ita in hac magis spectatur acumen ingenii celeritasque quaedam et facultas, non solum facile vitiosam lectionem animaduertendi, sed etiam talem medelam statim adferendi, quae cuiuis in mentem venire debuisse, quaeque vnice necessaria et vera esse videatur, sic, vt, quodcunque substituat verbum, lector peius existimet. Habet haec ars et laudem et fructum. Valet in hoc negotio plurimum acumen, quod sine dubio ex arte non venit; adiuuatur tamen arte, atque accurata promtaque sermonis graeci et latini scientia instructa et munita esse debet. Sed, vt fit in omnibus, vbi ingenii acuti vis regnat, facile indulgemus nostro ingenio, corrupta censemus, quae sana sunt, fauemus coniecturis nostris, easque exornare omni studio conamur. Nihil enim ingeniis feracius. Nisi valde erro, etiam hoc in *Vonkii* libris Criticis animaduertimus. Illa ingenii vbertas, ille vigor, qui semper alacritate summa procedit, quique non solum, quid factum sit, sed etiam

quid fieri potuerit, reperit, multas pe-
perit coniecturas, cum audaciores,
id est, quae recederent longius a
litterarum vestigiis, tum non necessa-
rias. Hinc non exigua pars opinio-
num eiusmodi, si seuerius examinetur,
blanditur quidem acuminis specie nostrâ
animo, atque eruditionem ingeniumque
Vonkii ostendit, sed cum codicum aucto-
ritate, tum aliis argumentis refutatur.
Nec vero ille animum ad scriptores
emendandos adiecit, qui iam multorum
opem experti fuerunt. Alios elegit,
quos Critici pauci attigerant. Huc per-
tinent Antonii Carmen aduersus gentes,
Corippus de laudibus Iustini minoris,
Iosephus Iscanus, Sulpicius Seuerus,
Guntherus, Sedulius, Optatus Mileuita-
nus, Cassianus, Aldhelmus, alii Christia-
ni scriptores. Licet vero in his scripto-
ribus emendandis alias quasi leges criti-
cas sequi debeamus, cum alio illi ser-
mone vtantur, diuerso ab antiquo, inte-
gram tamen praebebant occasionem, in-
genii ostendendi Critici, quod fere in
his libris tractandis sibi plura licere
existimat, vt medicos quosdam illud
vsurpare sermone aiunt; periculum fa-
ciamus in vili anima. Praeterea non

 nulla

nulla addidit; a Iure antiquo repetita. Nam de Theophiliana Institutionum Paraphrasi, de Collatione legum Mosaicarum et Romanarum scripsit, deque variis egit Iuris Iustinianei locis. Imbiberat enim *Vonkius* Iurisprudentiae eruditae fontes duce et auctore Abrahamo Wielingio, a quo mirifice amabatur. Delectabatur Wielingius iuuenis ingenio atque doctrina, et palam, quantum de eo speraret, significauit aliquoties. Atque etiam *Vonkius* magistrum suum non solum imitabatur ardentissimo studio, sed aliis quoque argumentis, quam illius studiosus esset, quam deditus illi, quam gratus erga praeceptorem, testabatur. Cum enim Traiectini quidam Theologi molesti essent Wielingio, atque illum iuuentuti malas et perniciosas sententias instillare clamitarent, vt in inuidiam adducerent virum magnum apud imperitam plebem; defendit praeceptorem *Vonkius*, non sine calore animi, edidit-que *Nicolai Hagemanni Promulsidem animaduersionum in Alberti Voget* (hic Theologorum ordinis tum decurio erat) *scripta varia ad Ianum Valentinum Blondel, ICtum et Philosophum.* (1739.) Demum mortuo Wielingio, cuius tumulo

breuem quidem, at verborum sententiaeque grauitatem nobilem aliquam spirantem titulum inscripsit (*), euulgauit (a. 1746) *Abrah. Wielingii Nubem testium, siue Apologetici partem alteram*, adductus ipsius Wielingii voluntate, quam paullo ante mortem ipsi declarauerat. Omnem, quae huic controuersiae inerat, molestiam leniuit memoria grata magistri, cui se plurimum debere nunquam oblitus fuit *Vonkius*. Sed (a. 1739.) ad aliud quoque alio tempore suscipiendum certamen compulsus fuit. Tum edidit *Mercurii Stygii iter subterraneum*, libellum facete et lepide scriptum, in quo Theologum quendam, a quo valde se laesum esse putabat, exagitauit. Iucundus est lectu ille libellus multoque sale conspersus. Et mirandum profecto est, in *Vonkio*, qui diu inter eos scriptores versatus fuit, quorum oratio valde inquinata est et corrupta aeui, quo vixerunt, barbarie, tantam fuisse eleganter scribendi facultatem.

(*) HEIC. POSITVS. EST. ABRAHAMVS. WIELINGIVS. ANTEC. VLTRAIECT. QVEM. DOCTI. LVGENT. AC. BONI. VIXIT. ANN. LII. MENS. II. AVE VIATOR.

tem. Carmina inprimis eius praeferunt non ſolum ingenii ſed etiam ſermonis ſuauitatem miram. Nam, quod in Critico inprimis miror, poetices amor fuit in *Vonkio* et ſtudium minime infelix. Atque haec ingenii poetici vis iam emicuit in puero decenni. Nam tum iam lyram Romanam digitis teneris tentauit. Mox acceſſit vſus et veterum poetarum lectio, qua naturalis ille impetus alebatur et, ne licentius euagaretur, ad certam rationem conformabatur doctrinamque. Quare vellem, ipſe collegiſſet omnes, quos ſcripſit, verſus, collectosque Muſarum Latinarum cultoribus tradidiſſet. Sed procul dubio aliis, quosque grauiores cenſuit, laboribus, quo minus carminibus emendandis limandisque manum adhiberet impeditus fuit. Scribere etiam voluit librum de Iure Publico Belgico, Gelriaeque Eruditae magnum opus molitus fuit. Praeterea aliorum quoque libris obſtetriciam quaſi operam praeſtitit. Nam edidit *Caſtruccii Bonamici Commentarium de rebus ad Velitras geſtis*, animaduerſionibus illuſtratum, (a. 1747) eiusdemque *Commentariorum de bello Italico librum primum*; (a. 1750) edidit etiam *Guid. Ferrarii*, oratoris [illegible]

Vniuer-

Vniuersitatis Mediolanensis, librum *de gestis Eugenii Ducis Sabaudiae in Pannonia* (1747) eiusdemque orationem *de arte poetica.* Dedit quoque *Hieronymi Falleti de bello Sicambrico libros quatuor,* (a. 1749). Quibus omnibus perfecit *Vonkius*, vt fama floreret gratiaque apud viros doctos. Fautores habuit inprimis *Quirinum* et *Corsinum*, illustria cum ecclesiae Romanae, tum totius, quam late litteris cultum est, humani generis ornamenta. Atque *Quirinus*, cuius nomen omni, quae litterarum studia amat, posteritati amabile et venerandum reddidit summa, qua viros litteratos prosequutus est ille, humanitas, versibus etiam testatus est, quid de *Vonkio* sentiret (*). Neque

(*) *Te modo, Diua, precor, Batauae regionis ad oras*
Perniciter volites cursu, verbisque salutes
Illa meis primum loca, quae olim laetus adiui.
Dein populos inter, Mosa quos, quos Rhenus et ambit
Conuenias fido iunctum mihi foedere amicum,
Cornelius *cui nomen Vonkius: edoce et ipsum,*
Quos mihi transmisit versus, dum cedere Roma
Iamiam

que praetereundus est fauor Comitis *Ottonis Friderici Lyndeni*, cuius erga litteras amor meritissima laude celebratur. Prae-

Iamiam moliens, caussam stimulosque dedisse
Cur vel iter carpens calamos inflare canoros
Gestirem versus, inquam, quos condidit ille
Astraeam reducem Cocceio Praeside cantans,
Auriaci celebrans teneros aut Principis annos;
Seu tristem lacrimans amissa coniuge casum
Illustris Comitis Lindensis, quo magis charus
Nullus Cornelio est Musarum nullus in urbe
Quam regit ad Vahalim cultor, magis atque patronus.
Hisce autem dictis haec insuper addita Musa,
Quatuor antè dies tantum accepisse Quirinum
Cornelii munus, nempe historiam Bonamici
Egregiam ac prorsus dignam, quae splendida praelo
Exiret Batavo, at nulla ratione Quirini
Condignum nomen, quod libri in fronte micaret,
Olli igitur magnas soluas pro munere grates,
Praeterea multo maiores innumerasque

Quod

Poëtarum Academia Etrusca, quae Cortonae est, atque Arcadum Romana Societas nostrum *Vonkium* in sociorum numerum adscripsit, aut, quod verius est, illius nomine sibi splendorem, quo potissimum illi Arcades, si eos propius adspexeris, non abundant admodum, conciliauerunt. Denique accessit aulae Palatinae beneuolentia. Sed haec quanta fuerit ex ipsius vitae narratione apparebit. Eam igitur attexamus.

Noviomagi natus fuit *Vonkius* anno huius seculi XXV. Studiorum causa Vltraiectinam Academiam petiit, Petrum Wesselingium et, quem supra iam commemorauimus, Abr. Wielingium praeceptores secutus. In eadem Academia, vt, qui Iurisprudentiae cultoribus propositi sunt, honores consequeretur, *Centuriam thesium inauguralium Philologico-nomicarum* edidit. In patriam reversus ciuitatis Secretarius, (quo nomine appellant, qui a secretis ciuitatis esse rectius diceretur) constitutus fuit. Mox accessisse audiuimus Praeturam atque

Quod claris adeo scripta Itala laudibus ornet,
Liuida nil metuens vecordis murmura turbae.

que Consularem dignitatem. Anno vero LXII. subito omnium rerum mutatio accidit. Quaestura enim publica, uti rumor est, haud feliciter administrata Coloniam Agripp. secessit *Vonckius*, ubi, abiecto in patriam redeundi consilio, auctoribus *Rissenbergio* et *Harzheimio*, S. I. quam antea professus fuit, doctrinam exuit et ad Romanam ecclesiam transiit. Quam sacrorum mutationem populares aliosque, quibus praeviderat se illam non probaturum esse, constanter celavit, immo quaerentibus, hoc se fecisse, negavit. Munitus hinc literis commendaticiis aulam Palatinam petiit: in qua litteras foveri et ornari audiverat. Nec fefellit *Vonckium* praemiorum exspectatio. Titulo enim honoribusque Consiliarii intimi et Historiographi Iuliaco-Bergensis insignitus, litterisque publicis, quibus nobilitatem, quam a genere arcessere solet hominum non exigua pars, accepit, ornatus fuit. Incidit illius adventus in ea tempora, quibus Princeps Elector, (cui omnes, qui litterarum studiis bene cupimus, quam longissimam inter mortales, *Theodori* virtutes veneratione et admiratione prosequentes, commorationem et serum ad cognata sidera reditum

preca

precamur) quibus igitur immortalitatem nominis his aliisque sapientiae documentis consecutus Princeps consilia de noua Academia Manhemii condenda agitabat. Qua a. LXIII. instituta dedicataque, *Vonkius* inter primarios Academiae nouae collegas comparuit, societatemque iniit cum *Schoepflino*, *Lameio*, *Kremero*, *Colino*, aliis eruditissimis viris, cui et debent iam multa ornamenta litterae, et, (faueat modo coelestis prouidentia instituto praeclarissimo dignissimoque, a cuius nomine quoque decus non exiguum habet, *Theodori* animo!) certissime plura debebunt. Ipso etiam dedicationis die recitauit sermonem *de felici integritatis ac prudentiae in historia temperamento*, postea Traiecti ad Rhenum euulgatum. Huius Academiae conuentibus diligenter interfuit, obseruationesque Criticas cum sodalibus communicauit, translatas deinde in primum Volumen *Historiae et Commentariorum Academiae Theodoro-Palatinae*, inscriptasque: *Obseruationum Criticarum atque etymologicarum sylloge.*

Haec dum agebat *Vonkius*, animi et corporis viribus se deficere sensit, iam inde

inde a prima aetate minus secundam valetudinem expertus capitisque praecipue doloribus excruciatus. Qua de sorte sua his versibus questus fuit:

Nescio quae Nemesis nostrum malesana cerebrum,
Et vexat saeuis morsibus usque caput,
Quae neque me studiis vllas impendere curas,
Nec sinit argutae tangere fila lyrae.
Dira mali rabies crescit; non, diua poesis,
Non facit ad genium barbitos vlla meum:
Siue ego culpa sui, seu sic velit ira deorum,
Seu mihi nascenti stella maligna fuit.

Hanc corporis imbecillitatem credidit se natalis aeris haustu corroboraturum esse. Discessit ideo a. LXV. in Dynastiam Rauensteinensem, Nouiomago proximam, ibique ad vicum Vden, in collegio Crucigerorum sedem fixit. Hinc cum excurreret in agros vicinos frequenter, casu quodam infelici brachium fregit dextrum, cui sanando integrum fere annum impendit. Hoc casu misere afflictum fuit *Vonkii* corpusculum illiusque omne, quod reliquum esset, robur imminutum. *Nudius tertius*, scripsit ad amicum quendam d. XX. Oct. a. LXVI. *primas a tredecim mensibus litteras scripsi, maxima*

cum

cum difficultate, nec sine insigni dolore meo. Nam ex horribili ista et fidem paene excedente ruina tristes etiamnum reliquiae restant, quae, vt valetudo mea magisque labascit, (credo per istum casum tota corporis compage dissoluta) vires acquirunt eundo. Hinc creberrimae illae obstructiones in meatibus vrinariis, quae vti summis cum tormentis ita praesentissimo cum periculo sunt coniunctae; accedentibus praesertim motibus spasmoticis iisque acerrimis, tum et eiectionibus pro saliua sanguinariis. Neque etiam vlla cura amissam semel valetudinis prosperitatem recuperare potuit. *Vix credas*, paullo ante obitum suum ad eundem scripsit, *quantis aerumnarum arietibus affligatur haec miserrimi corpusculi mei machina.* Nihil igitur iucundius illi accidere poterat morte, qua, subita apoplexia correptus, exstinctus fuit a. LXIX. die XVII. Ianuarii. Gratulemur hanc quietem viro optimo, perfuncto tot saeuissimis doloribus, tot corporis molestiis, abitumque illius ad meliorem vitam prosequamur, sic, vt faueamus nomini *Vonkiano* memoriamque viri eruditi et clari comiter vsurpemus.

VII.

Dactyliotheca Smithiana. Vol. I. et II.

Venetiis 1767. ex typographio I. B. Pasqualii. fol. c. tab. aen.

pagg. 16. *Praeloquium* huic operi praefixit *Pasqualius*, e quo nonnulla, ad historiam illius illustrandam facientia, decerpsimus. nam quae de gemmarum scalptarum praestantia, arte et argumentis, immo de dactyliothecis dicere voluit bonus vir, ea non digna sunt, quae repetantur. Cui tandem ea ignota videbuntur, exquisita, aut noua? Vix *Lessingio* alioui.

Iosephus Smith, Anglorum ad Venetos legatus, vt magno antiquitatis artiumque amore ferebatur, monimenta collegit varia, in his gemmas scalptas. Quas tota cum supellectile reliqua Angliae rex, Georgius III. emit. Regium igitur nunc Museum has gemmas, quarum imagines contemplamur in hoc opere, complectitur. Gemmarum harum argumenta vt explicaret, petiit Smithius a *Gorio*, qui in hoc litterarum genere tum regnare in Italia credebatur.

Huius

Huius igitur Gorii interpretationes exhibet *volumen primum*, *Gemmarum*, vt titulus praefert, *ectypa et Ant. Francisci Gorii enarrationes complectens.* pagg. 97.

Gemmas hoc volumen offert *centum*, nec eas omnes antiquas. Quaedam enim ipso argumento aeuum produnt, in aliis manus non bene mentiuntur antiquam officinam. Gemmarum imagines bene redditae sunt. Lineae sunt probae, nec inscite radium in lamellis aeneis ductum esse videmus.

Recensebimus primum, quae sunt recentioris operis, gemmas. Huc pertinet (t. VI) Triton, Nereida portans, Cupidine concha per mare vehente: huc Terminalis, (t. XI) foeminae, Baccharum specie, (t. XVIII) Hercules oliuarius, ad Onesae clarissimum exemplum scalptus: (t. XVII-XIX) atque Medusae caput, (t. XXI. XXII) ad imitationem Strozzianae Medusae a Constanziis effictum. Sic quoque Caput iuuenile Herculis ad Strozziani Herculis, a Cnaeo scalpti, exemplum conformatum est. In his placet studium optima exempla imitandi. (t. XXIII). At quam absurde Prometheus liberatus exhibetur! (t. XIV) Sat imperitum auctorem

rem hoc opus ostendit. Praeterea capita a recentioribus scalpta, apparent. (LII. XLVI. LIII. etc.) Duae gemmae, opere exstante, praebent capita Ioannis Balleonii, et Margaretae Farnesiae, praeclarum artificem testantes. (XCIX. C.) Ad recentiorum gemmarum numerum referenda est quoque ea, quae ostentat foeminam bifrontem: alterum caput foemineum est, alterum virile: serpentem gerit circa dextrum brachium circumuolutum (t. IX) Gorius Prudentiae imaginem agnoscit, atque causas totius formae interpretari studet.

Sed iudicandae nunc quoque sunt antiqui operis gemmae. I. caput Iouis Aegiochi e Chalcedonio excisum. Pectus tectum lorica, quae angium capitibus notata est. II. Iupiter Serenus, seu placidus, nisi, quod ego puto, regis potius humani caput sit. III. Iouis triumphatoris caput, lauro cinctum. IV. Apollinis ἀργυρότοξον laureatum caput. simul conspiciuntur arcus et pharetra. V. Mulier nuda sedet ad aram ignitam, ferulam vittatam sinistra tenens: super aram papilio volitat. Gorius putat, expiationem animae per mysteria Bacchi, aut sacra pro defuncti hominis expiatione,

tione facta, exhiberi. VII. Psyches caput velatum: adest papilio: quam imaginem permultae gemmae habent. VIII. pulchra virgo, gradiens, *veste volitante: quam Gorius Floram putat. sed nec vestis videtur conuenire Florae, nec, an flores manu ostentet, sat clare cognoscere possum. X. Ops Dea, vestita, digito os premit, brachio cornu copiae tenet. XII. Aduentus Augusti: quae gemma, cui numi non pauci fere similes exstant, ad quorum putamus similitudinem eam scalptam esse, imbecillem, ieiunam et parum venustam scalptoris manum ostentat. XIII. caput aperto ore, truci vultu, horrentibus capillis, alas, vt Gorius dicit, sed quas equidem vix conspicio, in capite gerens. Gorio est Typhon, id est, ventorum vis. — XV. imago Fauni ebrii et ridentis venusta, quae *Solonis* nomen praefert. Eiusdem artificis nomen appositum est Liuiae capiti velato et laureato (LXII). XVI. Musae caput, si Gorio assentimur, insigne. Sequuntur capita Herculis, populea corona cincti, quem ideo Inferorum domitorem appellat et eiusdem quernea corona reuincti, qui Gorio *Defensor* audit; et pulcherrimum caput Herculis

 ebrii,

ebrii, edera cincti. Inter has, quae ad Herculem pertinent gemmas, duae inprimis mentione dignae sunt. Primam commendat argumenti reconditi et eruditi praestantia. Hercules itinere fessus, altero genu innixus scopulo, altero pede stans, aquae fontem, quem e rupe eduxit, dextrae manus digito indicat, quasi monimentum gloriae. (XXVI). Bene Gorius *Herculem Aquilegum*, siue *Fontinalem* obseruauit, qui apud Troezenios aquae fontem inuenit (*), atque in memoriam nobis reuocauit aliam gemmam, (**); in qua Hercules admota ad rupem amphora aquam profluentem excipit. Alteram, quae Herculis senescentis caput excellentissime scalptum exhibet, (XXVIII) additas habet litteras ΑΔ: id est, nomen Admonis, cuius vinosum Herculem Stoschius euulgauit (***). Praeterimus alia capita. nam quid prodest recensuisse capita, nisi ipsa ostentare possis,

(*) v. Pausan. *Corinth.* 32, et Apollon. Rhod. IV, 1441.

(**) v. *Mus. Florent.* Vol. II. t. XIV. n. 4.

(***) vid. Stoschii *Gemmas ant. caelat.* tab. 1.

possis, vt, an recte nominibus suis insignita sint, iudices? Immo ne quidem imagines ad rectum iudicium ferendum sufficiunt. Ipsas videas gemmas necesse est. Illud vnum addam: aliquam gemmam Antinoi vultum exhibere atque verba ANTINOOΣ HPΩΣ (LXXXI). Libere etiam fateor, meam de non paucorum capitum nominibus sententiam Gorianis interpretationibus non respondere. Abhorrere enim videntur vultus a numis, quibus, cum nomina addita sint, quis non plurimum tribuat? quis non comparet eos cum gemmis vultuumque similitudinem et dissimilitudinem obseruet?

His gemmis addidit Gorius Commentarium. at qualem? Si bonum Pasqualium interrogaueris, aureos montes tibi pollicetur. *Habes*, inquit, *perbreuem* p. II. *sed ponderosam cuiusque gemmae enarrationem ex optimis fontibus ductam, aptaque eruditione aspersam, in quibus hominem acri ingenio praeditum et exercitatissimum mireris.* Quid dicamus de his verbis? Fauemus profecto nomini memoriaeque Gorii, viri, dum viueret, laboriosi, semper intenti antiquitatis studiis omni opera ornandis, etiam aliorum honesta studia promto et alacri ani-

mo iuuantis. Sed nec licet, quae vera sunt, certe quae vera esse nobis persuasimus, reticere. Nimis Gorius amauit rerum nec necessariarum nec incognitarum explicationem, siue morem ille gesserit Italorum studiis, siue vtile iudicauerit hoc commentariorum genus. Quam multa continet *Museum Florentinum*, indigna splendore insignis operis! Quam multa aliis in libris ad monimenta antiqua explicanda attulit, quae Natali alicui Comiti, aut Banierio relinquenda erant. Atque etiam hoc, quod in manibus habemus, opus Gorium, dum illud pararet, sui similem fuisse testatur. Nolo ad viuum resecare quaedam, quae oculum certe offendunt, qualia sunt p. 33. *aemulasse*, p. 14. *cui communicaui.* Emendanda haec erant a Pasqualio, qui se Latini sermonis peritum esse *praeloquio* suo ostendere voluit. At magis displicent interpretationes nugaces, quas nemo in tali opere quaesiverit. Legat mihi aliquis, quae de triumphandi ritu, (p. 9.) de terminalibus (p. 26.), de quernea et populea Herculis corona (p. 45. et 48.) dicta sunt, mihique tum ex animi sententia dicat, an aut exspectauerit talia, aut praeter exspecta-

exſpectationem iuuenta lubenter acceperit. Senem, admonentem iuniores, praecepta iis inculcantem, occaſionem monendi docendique vndique captantem, ſententiamque explicantem plurimis verbis facile agnoſcimus ibi, vbi Cupidinem cum mari Gorius comparat. Quem locum non poenitet totum transſcribere: "Si maris naturam contemplari p. 15.
„velimus; perſimilem Amoris naturae
„omnino reperiemus. Quid enim iu-
„cundius adſpectu tranquilli maris,
„quum vndae aequaliter diffuſae aut leui-
„ter vento criſpatae nitent; quum aurae
„blandiuntur, ſplendet coelum, arridet
„mare, aer ipſe placidus et purus alli-
„cit et inuitat ad nauigandum? Contra
„quid tam triſte, ſaeuum, metuendum,
„horridum, quam turbati maris facies,
„quum vbique horror, vbique minae
„et praeſentis mortis formido vrget et
„inſtat? Eodem ſane modo nihil aiunt
„eſſe beatius, nihilque iucundius Amore,
„qui ſit compos effectus voti. Quod
„oſtendit apud Terentium adoleſcens,
„qui ſuis deliciis et amoribus potitus
„fortunam ſuam cum immortalium deo-
„rum ſorte comparat. Contra vero
„nihil infelicius eſſe aiunt, nihil ſaeuius
„Amore

„Amore non prospero, quapropter Ti-„bullus. — Sed ohe! iam satis est.". Duo praeter Tibullum poetae ad testimonium dicendum vocantur. At quam pauca quam multis verbis dicta sunt! Credo, melius Goriano nomini consulere potuisse eos, qui huius operis edendi curam haberent, si resecuissent haec aliaque.

pagg. Volumen *secundum* offert *Historiam*
258. *glyptographicam auctore Franc. Ant. Gorio.* Cui quidem historiae licet addi non pauca possint, quae vel nostrorum aliquis suppleat, longe tamen vtilissimam iudicamus eam. Nam superat longe Vasarium, Giulianellium; etiam Mariettium, Goriana diligentia, accuratiusque antiquorum artificum cum nomina recenset tum opera, quam a quoquam eorum factum est. Haec historia quatuor partibus absoluitur, quarum argumenta dabimus.

Prima pars nomina exhibet scalptorum gemmariorum, quae in gemmis leguntur, commemoratis operibus cuiusque. Vbi placet ingenua professio,
p. 19. quosdam recentiores quoque gemmas *Auli*, *Dioscoridis*, *Solonis* nomina praeferre.

Altera

Altera pars complectitur praestantium antiquorum scalptorum gemmariorum nomina vel dubia vel incerta, eorumque opera. Hoc quoque loco inde a pag. 33. de Psuedoscalptoribus gemmariis agit, qui in scalptis gemmis antiquis nomina quorundam artificum celebriorum ex ingenio suo adscribunt, vel alia nomina ex arbitrio confingunt et adponunt, vt gemmarum raritatem spectabiliorem reddant pretiumque augeant. Satis nouo exemplo rem nuper confirmauit G. Casanoua, artium intelligens arbiter (*). Narrat enim, Pichlerum, scalptorem egregium, gemmae, quae caput Caligulae haberet, Dioscoridis nomen addidisse, quod illius Imperatoris aetati minime respondebat. Vtinam sic semper fraudem proderent, qui lucri cupiditate ad alios decipiendos impelluntur!

Tertia pars recenset praestantiorum antiquorum scalptorum gemmariorum nomina ex vetustis monimentis et scriptoribus depromta. Quod quidem caput vtilissima doctrinae varietate et copia efflorescit. Nam alius quoque generis artifices recensuit, *Aurifices*, *Caelatores*, *Vitriarios*, *Musiuarios*, *Vascularios*, *Crusta-*

(*) *Discorso sopra gl' Antichi* p. 3.

Crustarios, *Inauratores*, vsus inprimis titulis antiquorum marmorum.

Pars *quarta* sculptores gemmarios inde a sec. XV. vsque ad sec. XVIII. continet. Quorum multos recensuit iam Vasarius, recensuit quoque Mariettius. Sed hunc dicit "omnes vna commiscuisse artifices, ad sidera nimium euectis his, qui Gallicum caelum ornant." Est haec pars in capita octodecim diuisa, quorum quoque quid contineatur, docebimus. I. Medicei principes, Glyptographicae artis primi restitutores et fautores recensentur et laudantur. II. de Florentina schola Glyptographica, eius loco, praesidiis et ornamentis. III. de egregiis primisque gemmarum, lapillorum, marmorumque rariorum compaginatoribus. IV. nomina Compaginatorum celebriorum recensentur. Ars illorum spectatur peritia compaginandi inserendique gemmas et lapillos pretiosos, qui glutine quodam ita inuicem colligantur et coniunguntur, vt coloribus suis referant pictas tabulas. V. de opificibus, qui in regio Palatio et Museo Florentino vascula crystallina aliaque ex crystallo opera faciebant. VI. nomina praestantium vasculariorum in Floren-

tinis

tinis officinis cryſtallinis et vitreis producuntur. VII. illuſtres principes, qui Glyptographiae ſtudia fauore et opibus proſecuti ſunt, laudantur: quorum quidem numerum ſatis exiguum miramur. At quanto maiorem indicem dare poſſet, qui principes, canibus qui venaticis aut morionibus delectati ſunt, recenſere vellet! VIII. de ſchola Glyptographica Florentina ſub Laurentio Medice ac Petro, eius filio, et Alexandro Med. Florentinae Reip. Duce. IX. Gemmarii ſcalptores in Florentina ſchola clari, qui ſub Coſmo I. et Franciſco I. Magnae Etruriae ducibus, floruerunt recenſentur. X. Regnantibus Ferdinando I. et Coſmo II. qui floruerunt in Florentinis officinis gemmariis ſcalptores declarantur. XI. Scalptores Glyptographici, qui in Florentinis officinis, regnantibus Ferdinando II. Coſmo III. et Ioanne Gaſtone, Magnae Etrur. Ducibus, claruere, recenſentur. XII. Glyptographica in ſchola Florentina, regnante Franciſco, Imperatore Caeſare, qui floruerunt, ſcalptores gemmarii eorumque egregia opera recenſentur. XIII. de Romana Glyptographica ſchola; qui in ea reſtitutis artibus floruerunt, gemmarii ſcalptores

recen-

recensentur. XIV. de Langobardica schola glyptographica, scalptoribusque, qui ex ea prodierunt. XV. de Veneta glyptographica schola. XVI. de Gallica schola. XVII. de Glyptographica schola Alemannica. XVIII. de scholis glyptographicis Hispanicis, Britannicis, Danicis, Scoticis, Suecicis, Prussicis, aliisque, earumque celebrioribus scalptoribus gemmariis.

Nolumus disputare, an Gorius recte illam artificum in certas scholas descriptionem applicuerit scalptoribus gemmariis. Picturae certe melius conuenire videtur quam huic arti. Maiorem vero iure desideramus ab auctore diligentiam, vbi patriae nostrae ornamenta recenset. Quam pauca ille de Nattero dixit, quem
p. 279. etiam perperam *Norimbergensem* fuisse dicit, cum ille Biberaci in Sueuia natus sit. Paullo plura addidit de Marco Tuschero, cuius laudes sat facunde enarrat. Sed nec alii praetereundi erant Germaniae Scalptores. Quos tamen non liuore aut odio populi silentio transiit, (nam candidus erat iudex Gorius, multumque Germaniae tribuebat) sed rerum nostrarum ignorantia, quam in Italis quoties irridendi occasionem habemus!

mus! Hoc quoque in opere Gorius scripsit: *Augustus III. Poloniarum et Saxoniae* p. 183.
Rex: et alibi, *de Lictenstein*, atque *Antonius Pibeler*. Immo quis intelligit ea, p. 7.
p. 223.
quae de Aarone Wolfio, Iudaeo Brandenburgico, qui in Italia, maxime Neapoli, insignia annulis insculpsit, dicuntur: *nato nella città di Sandau, Provincia di Mandinburgh, nella Marca Vecchia.* Interim tamen vel sic non contemnenda est opera auctoris. p. 280.

Nos ex iis, quae dixit, vnum repetamus, quod fortasse non iniucundum erit cognitu rei gemmariae studiosis. Negarunt quidam, veteres scalptores adamante vsos fuisse. Quos refutavimus alio tempore adamante, cuius imaginem calce purissima expressit de litteris optime meritus, integerrimus Lippertus (*). Aliud exemplum Gorius praebet, vbi dicit, sibi narrasse Philippum Stoschium, visum a se esse Romae paruum adamantem, in quo diaglyphico opere sculpta lupa, lactans Romulum et Remum. Praeterea neque Iacobo Treceiae, neque Clementi Birago primam adamantis scalpturam inter p. 219.

(*) v. *Dactylioth. Lippert.* Mill. I . . .

p. 147. inter recentiores tribuit. Ars, inquit,
add. caelandi incidendique adamantes, per-
p. 242. multos annos, antequam in Hispania
ortum haberet, in Florentinis glypto-
graphicis officinis viguit. Sub Fran-
cisco I., duce Etruriae, Cosmi filio, an-
nulus pronubus eius scalptus fuit in ada-
a. 1565. mante, quo sponsam Reginam, Iohan-
nam Austriam, donauit. Neque prae-
terit caput Neronis, a Constantio ada-
manti inscalptum.

Praeter aliquot numos, qui ornandi operis caussa additi fuerunt, et signa nonnulla aenea, Volumen secundum duas exhibet statuas, Neptuni et Herculis, hydram necantis, olim a celebri Ioanne Bononiensi miro artificio fusas.

VIII.

Petri Lucretii Struchtmeyeri Epistola Critica in Glossas Nomicas ad Virum Clarissimum Herm. Cannegieterum.

Traiecti ad Rhenum, typis G. H. Kroon. 1769. pagg. 112. 8.

Si litterarum Graecarum cognitio, eruditissimus libelli Auctor inquit, *proximo quidem seculo in Romani Iuris doctoribus atque Antecessoribus raro suspecta fuit, hodie certe miraculum censeri debent, his praesertim temporibus, quibus a legitimo Iurisprudentiae docendae tramite turpiter deflectitur, tantoque quis et doctior et peritior habetur, quo magis est ab omni litterarum genere destitutus.* At quomodo credamus, iis a regionibus exulare Iurisprudentiam, Graecarum litterarum comitatu ornatam, quas *Cannegieteri*, *Roeueri*, *Struchtmeyeri*, alii eorum similes, id est, eruditionis verae studiosi viri, doctrina et ingenio illustrant? Quibus in locis si litterarum antiquarum honor iacere dicitur, quibus quaeso verbis deploremus p. 3.

 fortu-

fortunam earum Academiarum, quarum magistri palam has litteras contemnunt, iuuenes, quos magna mercede nil sapere docent, ab earum amore auocant, immo, licet in tanto corpore nulla sit mica salis, sibi tum demum ingeniosi et acuti videntur, cum insulsis dictis irrident historiarum, eloquentiae, venustatisque studium! Sed hos homines irato suo Genio permittamus. Ad eos enim qui *demonstratiua Iurisprudentia*, quam tanquam formosam filiolam exosculantur, contenti viuunt, in antiquis monimentis plane hospites sunt, elingues, in dicendo scribendoque infantes, immo, quoties pauca latina verba scribendi necessitas adest, foede peccant, ad eos igitur suam *Epistolam Criticam* non scripsit eruditissimus homo. Misit eam ad *Cannegieterum* suum, virum laude optimae doctrinae florentissimum. Nos, quid egerit Vir Cl. quam rationem secutus sit, commemorabimus.

Ille igitur solius ingenii ope emendare studuit Glossas, vt vocant, Nomicas, quarum est vsus eximius, sed nunc quoque, post doctissimorum virorum labores, post Schultingii et Roeueri operam, magna est corruptio. Adhibuit

cum

cum reliqua Iuris Ciuilis subsidia, tum inprimis Theophili Antecessoris, quam benignior fortuna seruauit, Institutionum Iustinianearum paraphrasin. "Neque, ait, exiguum fructum retuli ex collatione Graecorum Glossariorum, quae eximio operi suo, *de verborum significatione*, inseruit B. Brissonius, clarissimum quondam Galliae decus. Easdem enim fere interpretationes hae glossae continent, quas C. Labbaeus edidit, et quidem longe integriores accuratioresque."

Excellens ingenii acumen raramque sagacitatem Auctor vbique ostendit. Rem eum acu tetigisse saepe dices. Licet ab ingenio profectae sint vnice hae coniecturae, nutritum tamen Graecarum litterarum studio accurato ingenium, tanquam solum aliquod, in quo natae sunt, felicissimum, produnt. Hinc fere de omnibus assensi sumus viro nobis non magis ob doctrinam, quam ob egregiam, quam libellus praefert, humanitatem perquam charo: aliquoties recessimus ab illius opinionibus.

P. 6. *Ἀβιλέοι· ἀπελάται, ὅ ἐςι θρέμματα ἀπὸ βοσκῆς ὑποσύραντες.* Duae illae voculae a Brissonio omittuntur. neque necessarium indico, illas substituere;

nam et abſunt et adſunt in Gloſſariis. Neque vero etiam neceſſarium eſt, οἱ τὰ corrigere.

Subiicit auctor: ὁ γὰρ βοῦς ἢ ἵππον πλανώμενον εὔρων: aperte falſa lectio eſt. Vir Cl. coniicit ὑποσύρων. Quid ſi legeris ἐρύων? Verbum hoc propius abeſſe videtur ab illius, quod deleri cupimus, ſimilitudine.

P. 8. In Baſilicorum lib. L. tit. XII. §. 5. legitur: πάσας τὰς ἀγωγὰς, αἵτινες ἐκ τῶν γεωργῶν τῶν δεσποτικῶν διαὶ δημοσίȣ ἢ δικαίου ναϊκοῦ ἐν αἷς ᾗ ποτε ἐπαρχίᾳ πραθεῖσαι — εἰσιν — κελεύομεν ἀποκαθίςασθαι. Coniicit noſter κτήσεις. Latinus codex *terras* agnoſcit. Sed quam longe recedit a veſtigiis litterarum haec mutatio! Malim ego ἅλωας, cuius verbi vis latius patet, quodque *terris* reſpondet.

Ib. Ἀκέπτισε. δέξασθαι. Noſter ſcribit ἀκκίπερε. non puto. Gloſſa non eſt δέχεσθαι, ſed δέξασθαι. nil clarius.

P. 15. ἄμβιτος. ἀγωγὴ ἡ κατὰ τῶν φθειρόντων τὰς κρίσεις κ. λ. ἀγωγὴ eſt *actio*: παρὰ τὸ ἄγειν τὰς ἀγομένȣς εἰς τὸ δικαςήριον. Hoc omnes ſciunt. Neque tamen ſe videre dicit V. Cl. quo

ſenſu

ſenſu ambitus dicatur, ἀγωγή. Credo Gloſſographum non ſatis perſpicue mentem expreſſiſſe: illum explicare voluiſſe, quando reus aliquis ambitus agatur: non ambitum, ſed accuſationem de ambitu. Non librarium, ſed Gloſſographum ipſum peccaſſe puto.

P. 24. Suidae emendatio non videtur neceſſaria. Non ſemper infinitum tempus ponere ſolent, ſed quodcunque tempus in mentem venerit, Gloſſographi.

P. 27. Coniecturam Viri Cl. acutiſſimam habes! Ἐκςρανως δωρουμένῳ· τὸ ἔξω Ῥωμαίων. Putat gloſſas confuſas eſſe et emendat: Ἔκςρα: (ſed videat V. Cl. an forte verbum ἐκςράνεος locum habere poſſit. et reliqua legenda: οὐ Ῥωμαίος, ἐξ.) ἔξω ῥωμαίων. — Δὼς τὸ δωρέμενον.

P. 25. Ingenio Auctoris lubenter plaudo. ἐπίτροπος ἐςὶ δίκαιόν τι καὶ ἐξουσία κατὰ ἐλευθέρας κεφαλῆς δεδομένη, καὶ πρὸς ἀσφάλειαν αὐτῆς ἐπινοεμένη, ἢ διὰ τὸ τῆς ἡλικίας ἀτέλες, ἢ διὰ τὸ τῆς εὐπραγίας ἀληθὲς ἐπιτετραμμένη. Egregie in loco corrupto repoſuit: ἀμαθὲς. Nobis in mentem veniebat etiam verbum ἀκρατὲς; quod

idem esset, ac apud Vlpianum *rerum forensium ignorantia*, licet non iisdem verbis expressum sit.

P. 70. Non necessariam iudico emendationem Thalelaei: προσῆλθεν ἂν ὁ τῆς δίκης κύριος τῷ βασιλεῖ, ἐξ αὐτῶν ἀνατραπῆναι τὴν ἀπόφασιν. addi vult ἐξαιτῶν. Quoties non verba λέγειν, κελεύειν, αἰτεῖν et alia apud Thucydidem et scriptores plures omittuntur breuitatis caussa? In illo προσῆλθεν iam latet, atque suppleri facile potest verbum, quod Vir Cl. addit.

Interdum alios quoque libros V. Cl. attingit. *Modestini* libros de excusationibus p. 54. emendat, et saepe *Mich. Pselli* Synopsin legum cum explicat, tum illustrat. *Theophrasti* quoque χαρακτῆρας dum corrigere studet, Glossarum nomicarum asperitatem quasi condimento hoc mitigare videtur.

p. 102. De duobus Theophrasti locis aliter ego sentio. In cap. 8. ποίᾳ γὰρ οὐ στοᾷ, ποίῳ δὲ ἐργαστηρίῳ, ποίῳ δὲ μέρει τῆς ἀγορᾶς οὐ διημερεύουσιν, ἀπαυδᾶν ποιοῦντες τοὺς ἀκούοντας οὕτως. "Substitue, inquit, αὐτῶν, veramque habebis Theophrasti manum." Quidni potius

tius αυτως? eos aures his nugis, sine vllo commodo, sine vtilitate, praebere. In cap. 7. pro λέγων ὅτι χαλεπὸν τῷ λάλῳ ἐςὶ σιωπᾶν, legit δῆλον. Sed neque hoc necessarium iudico. Garrulus adeo sibi placet garrulitate sua, vt eam nec dissimulet, vt prae se ferat voluptatem, quam quoties omnia effutire possit, sentiat. Quis nescit, homines ipsos gloriari vitiis suis fateriqne, sic naturam ferre, cui repugnare se non posse, hanc esse indolem animi. Quanto magis garruli moribus haec professio conuenit. .. Inter illos *demonstratiuos ICtos*, de quibus antea locuti sumus, nonne sunt, qui ipsi (nam eiurauerunt pudorem omnem) palam dicant, se nec velle nec posse Grammatices praecepta in dicendo scribendoque sequi, se esse barbaros, et, addunt, "commilitones „honoratissimi, vos quoque estote bar„bari! quid prodest omnis ventosa elo„quentia? quid historiarum cognitio? „ne canem quidem isti sua sapientia e „fornace elicere possunt, ha, ha, ha!" O homines suaues, et iucundos, et beatos! immo, si velint, etiam doctos! et pulchros; nam quis cum ista faece populi eruditi rixetur? — de Theophrasto

phrasto loquimur. Theophrasti ipsius sententiam hic interponere nolo, quia paullo post iterum mores garruli pingit. Nolo descriptionem ipsam discerpi et dissolui. — Sed manum de tabula! *Fischerus* adest citius quam putaramus. Is qui in reliqua vita nunquam mitis est, qualis in hac re, quae ad Theophrastum pertinet, erit patruus, censor, magister! At ego fugiam hinc ocyus. Nam iam prodeuntem e schola Thomana plurimarum palmarum veterem et nobilem gladiatorem

Prospicio sonitumque pedum vocemque tremisco.

IX.

IX.

Neandri, Academici Roboret. Lapſus Protoparentum, ex Poemate Miltoni, Cantus VI. Accedit Supplementum ad Lib. VI. Aeneid. de fatis Imperii Romano Germanici et Aug. Gente Auſtriaca.

Vindobonae, typis Ghelenianis, 1768. plagg. 7. 8.

Latinis verſibus iam diuinum Miltoni carmen *Hogius* et *Trappius* apud Anglos reddiderunt. Sed cum his Neandri (videtur hoc nomen ſodali ſuo ab Academia Roboretana impoſitum eſſe) carmen nullo modo comparari poteſt. Neque enim hic totum nobis Miltonum reddidit, ſed, ni fallor, ſecutus perperam exemplum feminae ingenio nuper clarae, *Duboccage*, magis argumentum carminis vniuerſum, quam argumenti explicationem ſingularumque partium ornatum ſpectauit. Talem ſe erga Miltonum praeſtitit, qualem *Lamottum* ſe erga Homerum praeſtitiſſe notum eſt. Atque iisdem de cauſis ſe ad hoc facinus adductum fuiſſe fatetur, quas dudum

in

in Gallico interprete risimus. "Illud, „inquit, carmen, ego feci Latinum: „at minime totum. Nam et nimis „operosum videbatur, et digressionibus „praeterea scatet longioribus, violen„terque intrusis, quae omitti possunt „non modo citra vitium, sed etiam cum „venustate. — Multa immiscuit ab ope„ris sui argumento penitus aliena; fi„ctiones nonnullae nec vero similes nec „satis decorae; amplificationes non „paucae supra quam par est exorbitan„tes, interualla adsciticia, bene longa, „et multa. Ex quo existunt hiatus, „qui seriem Poematis longissime inter„rumpunt, lectoremque alienissimarum „rerum narratione mire fatigant. Lon„gus essem, recensere plura si vellem; „sed neque necessarium arbitror: sum„serat sibi iam id laboris satis copiose „Voltaerus. Contractum est ergo mihi „vastum poema, curatumque, vt sele„cta essent vel maxime illustria loca, „quae animum praecipue afficiebant, et „quae cum nouitate, tum magnitudinis „atque sublimitatis specie percellunt. „Ea vero sic disposita vides, vt omissis „interuallis vna serie atque vno quasi „filo decurrant. Illud hinc commodi

„est,

„est, vt qui re poetica delectantur, sed „longitudine narrationis et alienis am„bagibus diu suspendi non volunt, totum „isthic aedificium Miltonianum, minori „circulo comprehensum, velut ἰχνογρα„φικῶς ob oculos habeant; nec erit „fortasse ingratum, praecipuum opus „Britannicae Poesis, tametsi breui manu „contractum, Latino quoque ornatu in„dutum in nostrorum manus transire." Haec ille. At nos, vt, quam rationem secutus sit, appareret, haec repetiimus: contra quae quam multa dici possunt!

Atque primum quidem nouimus multa vituperata fuisse in Miltono a Magnio, Racinio, Voltario, aliis. At quis his de omnibus assentiatur? Quis non fateatur potius, Franco-Gallicos Criticos vnice amare stomachi sui delicias, cui mella et papauera placent, non solidiores nec simplices cibos concoquere? Quis nescit, viros doctos praeclare ostendisse, eorum versuum, quos alii tanquam ineptos et ridiculos reiecerunt, alios naturali pulchritudine nitere, alios magnificos sensus praeferre? Sed dabimus lubenter, quaedam iure notata fuisse in Miltono: displicere merito variae eruditionis ostentandae studium:

non delectare animum subtilium quaestionum e Metaphysica et Theologia repetitarum explicationem: offendere deorum Graeciae et Romae nomina in carmine longe alius argumenti. Praetereo alia, quae iusta censura digna sunt. Sed nonne etiam hi naeui ad ingenium Miltoni pertinent? quos si deleueris, aeque imperfectam habebis illius imaginem, ac si verrucas, cicatricem, aut vitium quodcunque aliud omiseris in ore pingendo. Non, quomodo interpres de his et aliis iudicet, scire volumus; non sententiam suam de virtutibus et vitiis carminis nobiscum communicare, sed totum, quantus qualisque est, talem exprimere debebat nobisque ante oculos ponere Miltonum. Et quomodo sibi persuadere potuit Neander, eiusmodi interpretationem se probaturum esse iis, *qui re poetica delectantur?* Immo hi diuitias ingenii, ornatum et colores, quibus res poeta pinxit, affectuum varietatem, sermonis figurarumque vbertatem et splendorem amant; quid? quod hi inprimis quidquam ignorare nolunt, quod poeta magnus scripsit. Narrationem argumenti descriptionemque fabulae, detracto verborum et figmentorum splendore

dore, non magis amant, quam qui pulchritudinem amant, ossea nudaque compagine corporis delectantur. Haec medicis placet, illa Criticis. Denique facile ostendi potest, *selecta et maxime illustria loca*, quorum interpretationi sese studuisse profitetur Auctor, aut omnino fuisse omissa ab eo, aut leuiter tantummodo adumbrata. Hoc dum egit, fregit sententiarum vim, imaginum vigorem extinxit, imminuit venustatem. Contra verbosior fuit, vbi non opus, panniculosque aliquot Miltonianae purpurae attexuit. Ne vero videamur durius iudicasse de Auctore, cuius operam omnem vehementer nobis improbari libere profitemur, exempla dabimus interpretationis nonnulla.

Statim initium carminis non est Miltoni, sed Neandri. Bonum an sit, iudicent alii.

Primi hominis natale decus pariterque ruinam
Suppliciumque cano. Magni tu Musa Britanni
Tu pelagus flumenque vndans ad littora coge,
Tu cohibe ingentes Erebo, coeloque volatus
Illius!

Illius! adspectuque breui diffusa coerce!
Dic mihi primorum felicia regna parentum;
Dic hostem, dic insidias, causamque nocendi
Ingenuis. Quo deinde nefas sua dona beata
Perdiderint incauti animis totamque nepotum
Progeniem opprobriis et dira morte piarint.
Huc ades, o Diua, et celsa demittere sede!
Tu, quae caelipetis *Miltonia pectora* flammis
Imbueras, *prensumque manu super astra tulisti,*
Huc tu etiam conuerte oculos atque annue coeptis.

Si quis comparet eos versus, quibus Miltonus, librum nonum ordiens, se ad infelicitatem parentum narrandam transire dicit, cum versibus Neandri; quis vmbram illorum et vestigium vllum inueniet?

Hactenus Edeniae felicia tempora vallis
Propitiumque Dei numen primosque parentes
Innocuos, et Seraphidum commercia dixi.
Nunc scenam ingredimur lacrymis luctuque refertam,
Infandumque, horresco loquens, renouabo dolorem.

Dic,

Dic, age, Musa, nefas et non reparabile crimen,
Quod genus humanum scelerata morte piauit,
Conuulsitque elementa simul, *miserosque nocentes*
Traxit in aeternas Orci crepitantis abyssos.

Non poenitet addere Miltoni versus, vt statim fiat omnibus copia iudicandi de interpretatione:

No more of talk where God or Angel guest,
With Man, as with his friend, familiar us'd
To sit indulgent, and with him partake
Rural repast, permitting him the while
Venial discourse unblam'd: I now must change
Those notes to tragic; Foul distrust, and breach
Disloyal on the part of Man, revolt,
And disobedience; on the part of Heaven
Now alienated, distance and distaste,
Anger and just rebuke, and judgement given,
That brought into this world a world of woe,
Sin, and her shadow Death, and Misery
Death's harbinger. Sad task, —

Reliqua, quae apud Miltonum sequuntur, desunt omnia. Sed redeamus ad initium carminis. In libro I. omnia mutata sunt, omissa alia, alia transposita. Totus ille locus inde a v. 376. quo collectus ex inferis locis exercitus recensetur, tanquam inutile membrum, abscissus fuit. Quid? quod trecentis fere versibus complexus est omnia, quae Miltonus libro primo, secundo, tertio, narrauit, immo partem quoque quarti libri? Haec omnia cum adeo contraxerit, quid miremur parsimoniam in paruis, inprimis in comparationibus? Miltonius dixerat (L. IV. v. 183. sequ.)

As when a prowling wolf,
Whom hunger drives to seek new haunt for prey,
Watching where shepherds pen their flocks at eve
In hurdled cotes amid the field secure,
Leaps o'er the fence with ease into the fold:
Or as a thief, bent to unhoard the cash
Of some rich burgher, whose substantial doors,
Cross-barr'd and bolted fast, fear no assault
In at the window climbs, or o'er the tiles. —

Huius

Huius comparationis alteram partem omisit: primam ex ingenio voluntateque sua sic expressit:

Qualis in imbelle lupus irruit vngue capellas,
Plorantemque tenens falcatis faucibus offam
Versat in alta ferox et sanguine spumeus ardet.

Nemo nescit, quam excellenter Miltonus in L. IV. felicitatem amoremque primorum parentum cecinerit, quam iucundas, quam amabiles vitae primae praebuerit imagines! quam suaues picturas regionis, vbi degebant, dederit! Hoc certe in libro interpres timidius religiosiusque versari debebat. Sed si latinos versus legeris, memineris que ea, quae apud Miltonum legisti, credo te deploraturum esse Miltoni sortem, qui in tam saeuas manus incidit, nec semel tecum dicturum:

Quis tam crudeles optauit sumere poenas,
Cui tantum de te licuit?

Nuptialia illa gaudia quam non solum iucundo sed graui quoque sermone commemorauit Miltonus (L. IV. v. 689. sequ.)

sequ.) cuius quidem vestigiis inhaerere voluit Neander, sed hercle! non passibus aequis illum secutus est. Totum illum locum adponam:

Haec ubi dicta: simul virides adiere corymbos,
Gramineoque cubant thalamo et vernantibus herbis.
Ecce, repercussis myrtus pulcherrima ramis
Vmbrat opaca nemus sacrum: Zephyrique silentes
Arboreos agitant leni modulamine crines,
Ambrosiamque halant. Liquidi per florea fontes
Deproperant: insecta *procul, procul ira metusque:*
Ipsa suos norunt animantia singula reges
Et submissa colunt. Verum admirabilis Eua
Puniceis immista rosis tenerisque amaranthis,
Atria picta soli niueo candore coronat
Floridior: simul et violas et lilia vincens.
Sic placido vultu, labiisque suaue reductis;
Composuere oculos. Dumque abdita frondibus atris
Irrequieta canit patulas Philomela per auras,
Diuinumque melos per saxa sonantia reddit
Ludiloquax Eccho: venere ad limina somni
Leniter extincti, dulcemque bibere soporem.

Huc

Huc amor o pulcher! nec adbuc metuende sagittis
Reclususque oculos et mitibus integer alis,
Huc ades! Et plenam violis candentibus vrnam
Deplue, et in thalamum manibus iace lilia plenis.
Vos quoque, si qua manet generis fiducia vestri,
Felices animae! — ab nimium ne scire velitis.

Quot egregios versus, quos Miltono inspirauit coelestis Musa, quibusque voluptas inest summa, desideramus! Hoc vno e loco licet de interprete iudicium facere. Sed alia exempla restant.

Imaginem Dei, duas lances sustinentis fataque iis imponentis, quam Virgiliano colore pingere poterat (*), feliciter a Miltono expressam (L. IV. v. 996. sequ.) frustra quaeres. Frustra quaeres orationem, maiestate plenam, qua filium ad victoriam ab hostibus deportandam dimittit Deus: (L. VI. v. 680. sequ.) *Effulgence of my Glory, Son belov'd* etc. frustra excellentissimam imaginem filii, armati ad pugnam (L. VII. 192. seq.)

(*) Aen. XII. 725.

— Mean while the Son
On his great expedition now appear'd,
Girt with omnipotence, with radiance crown'd
Of Majesty divine. etc.

quibus versibus nil audiuit Graecia olim, nil Roma magnificentius: frustra quaeres tot alias, quibus inprimis magnitudo ingenii Miltoniani sese explicuit, carminis partes.

Vt vero appareat, quomodo res cesserit Neandro, assequi vbi studuit Miltoni exemplum; addam interpretationem versuum venustissimorum, quibus librum quintum Miltonus orditur. Anglica non adscribemus: nam credo, recordaturos esse, qui carmina amant, pulcherrimos versus.

Vix tandem euecta est roseo Tithonia cursu
Effusoque auro pelagi resperserat vndas.
Aperit Adam oculos. Nemorum cytharistria *turba*
Arboribus late resonat, Zephyrique recentes
Leniter adspirant et plana virentia lambunt.
Sed miratur Euam somno retinente morari.
Nec vigilem lucente die recapessere *vitam*

Sparsa-

Sparsaque caesaries vultusque rubore perustus
Incussere metum. Tenero hinc percussus amore
Haesitat: intereaque decus mirabile sponsae
Languidulae spectat. Pellucida, tempora neruis,
Frontis ebur, niueasque manus orisque nitorem:
Spirantemque suaue animam neglectaque culta
Brachia, granitum referentia bracchia marmor.
Suspirat tener et dextram de vertice prensat:
Dilectaeque suae subclara voce modeste
Ingeminat nomen patulasque haec fatur ad aures.
Quin somno tandem euigilas, o prodiga vitae,
En aurora vocat, campos noua gloria vestit:
Vnda strepit de rupe cadens volucresque susurru
Prouocat et picti reserant sua pectora flores,
Humentemque bibunt gemmis rutilantia rorem
Nunc flos lucis adest, nunc aurea dona renascens;

Ostentat natura. Haec tu mihi tempora perdes?
Dixit. Et illa oculos, ceu sidera clara, micantes
Explicuit pariter tenerumque amplexa maritum
Attollit sese pauitans, cubitoque reclinans
Suspiransque altum tremula sic voce locuta est.
O salue! o iuuat! o rursum te cernere coniux!
Ne dubita, et somno tua te mihi fulsit imago.
Magne deus, quam mira animo prodigia vidi etc.

Qui haec cum Anglicis comparauerit, animaduertet, qualia sint. Facile condonassemus et remisissemus Neandro ea, quibus ditare voluit Musam Miltonii, ornamenta, vt fidelem elegantiarum illarum imaginem nobis redderet.

Sed ad alterum carmen progredior, quod non omnino displicet. Ipsa inuentio ingeniosa est. Anchisem, quem in Libro VI. Aeneidos illustres populi Romani viros recensere notum est, fata Romani imperii vsque ad Iosephi nostri tempora Aeneae commemorantem audimus. Vnde auctor bellam occasionem

nactus fuit, laudes Austriacae domus celebrandi. Nec male illa vsus est. Inest huic carmini iucunda varietas laudum, etiam sermonis maior est nitor, versus facilius profluunt. Nos speciminis dandi causa versus repetemus, quibus Germaniae futuram faciem Anchises vaticinatur.

Est gens, *nate*, *immensa*, *ingens*, *fortissima bello*,
Occasum Latio spectans et rupibus altis
Seclusa Italia: a Rheno (sic fata loquuntur)
Vndarum oceanum lenta cum mole trahente
In Boream protensa, ampla vastissima tractu.
Nunc rudis et cultus expers atque horrida siluis
Desertis, et arundineis ingloria pagis.
Sed tunc, vt seris adolescunt omnia seclis,
Immensum excrescet. Procumbent alta bipenni
Robora, procumbent luci; pigraeque paludes
Florea regna dabunt, et pascua laeta capellis.
Non secus ac pinguis felicia littora Nili
Vrbibus exultant crebris et iam modo vicum
Caeruleum, iam mite nemus, iam collibus arces

Impositas et prata herbis florentia pandunt,
Errantesque hinc inde leues per gramina riuos,
Sic erit illius facies laetissima terrae,
Vrbe domoque frequens, pecorisque hominumque referta.
Quid tibi, nate, artes memorem, quas ipsa Minerua
Inuideat? cedent nostrae, (miserabile) cerae,
Arboreaeque togae. Tum stamina fusa metallo
Incisaeque notae, dein quaelibet ordine iunctae
Figent aeternis vestigia picta figuris.
Inde vetusta suis extracta volumina thecis
Defessoque situ centumque renata papyris
Perque manus hominum perque omnia regna volabunt.
Mars etiam genti dominae sua porriget arma,
Bellandique nouas artes, noua proelia discet
Attonitus rerum. Nolim, mi nate, vel ipsos
Scipiades magnamque animam immortalis Iuli
Hisce giganteis bello concurrere turmis.
Nil agitant ferro aut missis per inane sagittis.
In mediis (horresco loquens) nuda agmina flammis

Consi-

Consistunt; supraque caput crepitantia current
Fulmina, sub pedibus calcabitur ater auernus.
Huic ergo ingenti populo diuûm Pater almas
Ausoniae nostrae gentisque extradet habenas etc.

Sunt etiam in his versibus, quae emendationem requirant, vt alibi. Certe Virgilianus Anchises nunquam dicturus erat:

Mi nate, (ait) *o mi nate!*
Vt patrem exagitas! vt amantia viscera scindis
Hoc ingente animo!

Inprimis vero miramur, Neandrum adeo pleni et casti sermonis curam abiecisse, vt inueniamus barbara multa, peregrina, plane indigna Latino carmine. Quoties non verbum *abyssus* posuit, quod ecclesiasticis scriptoribus relinquendum erat! v. e. *nec abyssi carcere claudi. aeternas in abyssi carcere arenas:* et sic saepe. A Theologis Scholasticis sumsit verbum: *empyrius*: *Cum mox Empyrei sese aurea limina pandunt: Immensi Empyrei fornix.* Vnde didicit *offam* iudicare

iudicare praedam? Dixit tamen de lupo: *vnguibus offam eripere: Corripitur nil tale merens miserabilis offa:* In carmine verba: *Protoparentes: tua me substantia fudit, querulare: supremum ens: o substantia certe multo nobilior. substantia vltima rerum. moesti Troiae pereuntis agones*, non locum habent. Verba *adfulguro: versamen: reduplico: dolorifero nisu: loquosus, fluctipotens: superanxius: rupea:* nulla auctoritate idonea confirmari possunt. Taceo alia. Plerique sibi persuasisse videntur, in carmine locum inuenire verba non admodum Latina, ideoque et ipsi noua fingunt et a sequiore aeuo tradita arripiunt. Sed vel optimorum versuum suauitatem eiusmodi maculis nullae aliae sunt quae magis perdant et corrumpant.

X.

Delitiae Sapientiae de amore coniugiali; post quas sequuntur voluptates insaniae de amore scortatorio, ab *Emanuele Swedenborg*, Sueco.

Amstelodami, 1768. pagg. 328. 4.

Iam iam efficaci do manus scientiae, Supplex!

nam qui, Swedenborgiano hoc libro lecto, nondum felicitatem nostrorum temporum agnoscat, quibus rerum coelestium cognitio data, et concessa est mortalibus, hercle! is ferreus est, improbus, caecus, peiorque Vaniniis. Verum est; abhorruit animus ab iis Philosophis, qui nunc in Germania non solum res futuras praedicunt, sed etiam omnes coeli angulos bene exploratos habent; fatebor, insanienti, vt putabam, sapientiae me fidem habere adhuc noluisse, quae, non terra contenta, immo non coeli atrio contenta, vsque ad *tertiam* coeli regionem abripitur, nec inter humanos discipulos bonas horas somniis bellissimis consumere, sed

genios

genios inter coelestes garrire gestit. At mutabo animum.

Nunc retrorsum
Vela dare

cogor, nec, cur enim negem? *Crusianam*, vt me in sinum suum recipiat beneuole, scholam,

magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates aperitque futura,

orare desinam. Quibus precibus vt eo facilius locum det chorus vatum, hariolorum, coniectorum, polliceor primum, me iuraturum esse in verba magistri, *Crusii*, nec, quod non ex ore illius exciderit, verum existimaturum esse quidquam. Tum *Leibnitio*, *Wolfio*que adeo me infestum ostendam, vt et illorum gloria, non quaesita meritis, sed hominum stupore comparata, nil vanius esse palam profitear, miserosque eorum animos saeuissimis poenis apud inferos excruciari doceam. Immo Graecas Latinasque litteras non solum contemnam strenue, sed iis quoque nil perniciosus cogitari, earum magistris nil pestilentius infeliciusque esse, de alta turri, aut, si malint, de cathedra quotidie concionabor. Denique arcana coeli scrutabor,

consilia

consilia et negotia coelestia speculabor, fidem habebo omnibus, quae de sagis quaecunque anus mihi in triuiis narret, omina diligenter obseruabo atque inprimis vias explorabo et artes daemonis, quem, fallor? an, dum haec scribo, furcae inequitantem non sine strepitu nec sine ignito seruorum sociorumque comitatu per aera ferri audio, siue ille choreas celebraturus sit in Hercyniae montibus, siue vetulae alicui, cuius duro imperio regitur, pecuniam promissam allaturus. Sic ego agam, sic me acturum esse ita polliceor, vt nunc inter Crusianae sapientiae praecones referri et olim cum Bengeliis, Oettingeris, Boehmiisque milliaria gaudia percipere cupio optoque. Hanc mentem *Swedenborgio* meo debeo, cuius cum librum legerem, idem fere sensi, quod sensisse puto, qui Circaeum poculum olim epotauerant. Quis enim non hunc Iovem omnium vatum agnoscat ducemque et auctorem eorum, qui hodie in foro et scholis gloriantur:

venerabile soli
Sortiti ingenium, diuinorumque capaces
Sensum a coelesti demissum traximus arce.

Non

Non iniuria. Swedenborgius inter deos et inter homines simul versatur: eodem tempore in coelo mirabilia quaeque videt, et in terra pedibus ambulat.

Ita versipellem se facit, quando lubet.

Qua de re ne dubitet quisquam, ipse suum librum his verbis orditur: "Praeuideo, „quod multi, qui legunt sequentia haec „et memorabilia post capita, credituri „sint, quod sint imaginationis inuenta; „sed asseuero in veritate, *quod non sint* „*inuenta sed vere facta et visa*; nec „visa in statu quodam mentis sopitae, „sed in statu plenae vigiliae: *placuit* „*enim Domino se ipsum manifestare* „*mihi et me mittere ad docendum illa*, „quae erunt Nouae Ecclesiae, *quae per* „Nouam Hierosolymam in Apocalypsi „intelligitur; *propter quem finem in-* „*teriora, mentis et spiritus mei ape-* „*ruit; ex quo mihi datum est in mundo* „*spirituali cum angelis esse et simul in* „*mundo naturali cum hominibus*; et „hoc nunc per viginti quinque annos." Ab illo vero, qui nos his verbis compellat, quid non exspectemus? Et tulit profecto digna tanto hiatu promissor *Swedenborgius*. Nam coelestia gaudia

omnium

omnium vnus optime cognita habet, qui ad ea degustanda ab angelo quodam inuitatus est. Quae res quomodo acta sit, ipsius viri verbis narrabimus. Etenim multum gratiae decedet rei, si alio sermone, quam Swedenborgiano enarretur.

Studete hodie mihi, bona in scenam affero.
Aures, oculi, animus ampli fient saturi.

"Quondam mihi visus est Angelus sub „coelo Orientali volans, cui tuba erat „in manu et ad os, qui clanxit versus „Septentrionem, versus Occidentem, et „versus Meridiem: indutus erat chla„myde, quae ex volatu fluebat retror„sum, et cinctus erat fasciis ex pyropis „et sapphiris sicut flammante et lucente; „pronus volabat et demisit se lente in „terram, quae mihi continens erat; „vt tetigit terram, erectus super pede „vadit huc illuc et hunc me viso direxit „gressum ad me: *eram in spiritu*, et „in hoc stabam super colle in Plaga „meridionali, ac, cum prope erat, allo„quutus illum quaesiui, quid rei nunc, „audiui clangorem tubae tuae et vidi „descensum tuum per aerem. Angelus „respondit, missus sum ad conuocan-

 „dum

„dum celebratiſſimos eruditione, per„ſpicaciſſimos ingenio, ac eminentiſſi„mos nomine ſapientiae, qui e Regnis „Chriſtiani orbis ſuper continente hac „terra ſunt, vt in hunc collem, vbi tu „commoraris, conueniant, et ex pecto„re expromant mentes, quid in Mundo „cogitauerant, intellexerant et ſapue„rant de gaudio coeleſti et de felicitate „aeterna. — Exſpectaui et ecce poſt „ſemihoram vidi duas turmas a Septen„trione, duas ab Occidente, et duas a „Meridie, et, ſicut venerunt, ab Angelo „tubae introducti ſunt in aedem prae„paratam et ibi occupabant loca illis „deſignata ſecundum plagas." Hoc in concilio quae dicta ſint, repetere non licet omnia. nec quaecunque viderit Swe-
p. 16. denborgius narrare, vacat. Illud vnum dicam, "vidiſſe virum acutum praeter „multa alia menſam magnifice appara„tam, in medio eius excelſam Pyrami„dem ex auro cum centum ſcutellis in „triplici ordine ſuper formis ſuis, ſuper „quibus erant panes ſacharini et muſta „vinorum concreta, cum aliis lautitiis „ex pane et vino confectis; ac per me„diam pyramidem ſcaturiuit ſicut fons „ſaliens cum vino nectareo, cuius vena

„ex

„ex ſummitate Pyramidis diſperſit ſe et „cyathos impleuit. Ad latera huius ex„celſae Pyramidis erant variae formae „coeleſtes ex auro, ſuper quibus erant „patinae et patellae, cibis omnis generis „refertae: formae coeleſtes, ſuper qui„bus patina et patella, erant formae artis „ex ſapientia, quae in Mundo non ali„qua arte exarari, nec voce deſcribi „poſſunt: patinae et patellae erant ex „argento, circumcaelatae ſimilibus for„mis in plano cum ſuſtentaculis ſuis; „cyathi erant ex gemmis pellucentibus." Sed non ſemper *Swedenborgio* animus in patinis coeleſtibus eſt. Etiam cantores coeleſtes audiuit, immo nuptias in coelo celebrari vidit. Nam toto in libro p. 18. hoc agit Auctor, vt coniugia coeleſtia commendet, laudet, deſcribat.

nouit namque omnia vates
Quae ſint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur.

Atque ne in dubium quisquam vocare p. 28. audeat haec coniugia, idoneis argumentis ſententiam ſuam ſtabilire nititur: "Quod Amor ſexus apud hominem ma„neat poſt mortem, eſt, quia tunc maſcu„lus eſt maſculus, et foemina eſt foe-

„ mina, ac maſculinum in maſculo eſt
„ maſculinum in toto et in omni parte
„ eius, ſimiliter foemininum in femina,
„ ac coniunctiuum eſt in ſingulis immo
„ in ſingulariſſimis illorum; nunc quia
„ coniunctionum illud a creatione inſi-
„ tum eſt, et inde perpetuo ineſt, ſequitur
„ quod vnum deſideret et ſpiret coniun-
„ ctionem cum altero. Nunc quia con-
„ iunctiuum illud latet intime in ſingu-
„ lis maſculi et in ſingulis foeminae, ac
„ facultas et deſiderium ad coniunctio-
„ nem in vnum ineſt ſingulis, ſequitur
„ quod amor, ſexus mutuus et recipro-
„ cus apud homines maneat poſt mor-
„ tem." Quod quidem argumentum licet ſit acutiſſime excogitatum, maiorem tamen vim habent ea, quae ſe ipſum vidiſſe in coelo narrat Auctor. Totus enim liber diſtinctus eſt memorabilibus exemplis, quae ſibi oblata fuiſſe *Swedenborgius* commemorat. Quoties ille non vidit angelos! quoties altiſſimos montes aſcendere iuſſus fuit! quoties iter fecit per nubes, ibi fortaſſe vrbem conditurus vt aues Ariſtophanicae!

maiorque videri,
Nec mortale ſonans, afflatur numine quando
Iam propiore Dei.

Non

Non solum coniugia in coelo vigere scit, sed qualia quoque sint, narrat. Et quidni narret? *Non est res*, inquit, *iudicii sed experientiae, et haec mihi data est per consociationem cum angelis et spiritibus.* Felicissime vero praedicat coniugia coelestia, solatiaque praebet bonis maritis, qui vxores habuerunt non ex animi sententia, praeclara. "Sunt, ait, „duo status, quos homo post mortem „subit, externus et internus: in exter„num suum venit primum et postea in „internum; et dum in externo est, con„iux coniugem, si vterque mortuus est, „conuenit, agnoscit, et, si vna vixe„runt in mundo, consociant se, et per „aliquod tempus viuunt simul; et cum „in hoc statu sunt, non scit vnus incli„nationem alterius ad se, quia haec se „in internis recondit: postea vero cum „in statum internum veniunt, manife„stat se inclinatio, quae si est concors „et sympathica, vitam coniugialem „continuant, at si est discors et antipa„thica, illam soluunt. Si viro plures „vxores fuerint, coniungit se cum illis „ordine, dum in statu externo est: at „cum intrat statum internum, in quo „percipit amoris inclinationes, quales

p. 35.
p. 37.

„ sunt, tunc vel adoptat vnam, vel re-
„ linquit omnes." Cui quidem doctri-
nae caueant omnes ne fidem denegent.
p. 51. Sex enim attexuit Auctor narrationes,
memoratu dignissimas. Quas qui lege-
rit, admirabitur species multiformes,
et quam carus sit Suecus noster angelis
intelliget,

varias audit voces fruiturque deorum
Colloquio atque imis Acheronta affatur
auernis.

Neque potuit non admoneri is a numine,
p. 141. qui tot arcana et occulta explicuit. Huc
pertinent inprimis, quae de *sphaera con-*
iugiali prodidit, "Multae, inquit, a
„ deo procedunt sphaerae; at vniuersalis
„ omnium est sphaera coniugialis, quia
„ haec etiam est sphaera propagationis,
„ et sic supereminens sphaera conserua-
„ tionis Vniuersi creati per successiuas
„ generationes. Haec sphaera implet
„ Vniuersum et peruadit a primis ad vl-
„ tima; haec sphaera recipitur a sexu
„ foeminino, et per hunc transfertur in
„ sexum masculinum." Quae quidem
adeo sublimia sunt, vt ne quidem in-
p. 259. telligamus ea. Sed nondum initiati su-
mus his mysteriis, inde nec capere pos-
sumus,

ſumus, quae dicit de alia ſphaera; *de ſphaera amoris ſcortatorii ex inferno aſcendente, quodque binae illae ſphaerae ſibi obuiant in mundo vtroque, ſed non ſe coniungant.* Haec aliaque pertinent ad ea, quae ſolus ſcit Swedenborgius, quaeque nos alii, quibus non eadem felicitas contigit, admiramur. Certe ſtupemus, cum de libidinibus geniorum loquitur. "His adiiciam aliqua p. 287.
„e *mundo ſpirituali*, quae memoratu
„digna ſunt. Audiui ibi, quod quibus-
„dam viris vxoratis ſit libido ſcortandi
„cum foeminis illibatis, ſeu virginibus,
„quibusdam cum libatis ſeu ſcortis, qui-
„busdam cum foeminis maritatis ſeu
„vxoribus; quibusdam cum talibus ex
„nobili proſapia et quibusdam ex non
„nobili; quod ita ſit, ex pluribus *e va-*
„*riis regnis in illo mundo* confirmatus ſum etc.

Sat credo luculentis exemplis me oſtendiſſe, quantus vir ſit *Swedenborgius*, quae ille coeli commercia iactet, quantum mortale genus reliquum ſapientia ſuperet. Cuius quidem magni viri cum felicitatem aſſequi non liceat, eos certe, vt dixi, aemulabor, qui proxime a *Swedenborgio* abſunt.

Felices animae, quibus haec cognoscere primum
Inque domos superas scandere cura fuit!
Admouere oculis distantia sidera nostris
Aetheraque ingenio supposuere suo.
Sic petitur coelum! —

XI.

Discorso sopra gl'Antichi, e varj monumenti loro, per uso degl' alunni dell' Elettoral' Accademia delle bell' Arti di Dresda, di *G. Casanova*, Professore della medesima.

Lipsiae, ap. viduam Dyckii, 1770, pagg. 70, 4.

Statuas antiquas, quae olim Chigianum Museum Romae ornabant, emit Dresdamque transtulit Augustus II. Illarum imagines edidit *Le Plat* (*), parum qui hoc opere illorum monimentorum famae consuluit. Nam si exceperis eas tabulas, quae *Preisleri* manui artique debentur, nil potest reliquis cogitari

(*) *Recueil de Marbres antiques, qui se trouvent dans la Gallerie du Roi de Pologne à Dresde.* 1733. fol.

tari foedius turpiusque. Quare recte indicat *Casanova*, natione Italus, artium p. 9. peritissimus homo, et Saxoniae ipsius gloriae, et Musei Dresdensis, merito illustris etiam apud exteros, quodque prudentiorum in animis vel Romae adeundae desiderium facile lenit, splendori parum respondere illarum chartarum tenuitatem. Praeterea monet, non vera statuis nomina imposita fuisse. Indicem, qui tum, cum illae venderentur, Romae confectus fuit, Editorem, tanquam Sibyllinos libros, consuluisse, illiusque auctoritati nimium tribuisse. Denique non considerasse eundem docet, multa monimenta non talia exstare, qualia ex officinis antiquis prodierint, sed fracta et mutilata aduersis casibus, atque a recentioribus sculptoribus non semper sic restituta fuisse; vt, quae adderentur, consilio antiqui artificis responderent.

Atque haec veterum monimentorum restituendorum ars et ratio occasionem praebet Auctori, de iis grauiter p. 5. querendi, qui antiquis statuis, laesis fractisque, facile integritatem pristinam reddi posse credant. Vbi non obscure *Cavaceppium* perstringit, non obscuri nominis artificem, cui se non admodum

 amicum

amicum esse aliis quoque locis ostendit. Plus, ait, nocuisse antiquis monimentis imperitas eiusmodi restitutorum manus, quam temporis iniquitatem. Hinc viris doctis, non sat feliciter et acute qui haec obseruauerint, errandi materiem occasionemque multiplicem datam esse: hinc non pauca monimenta antiqua plane fuisse corrupta, mutata, ridicule efficta. Felicissime inter omnes cessisse restitutionem pedum Herculis Farnesiani. Adeo veteris scalptoris manum assecutum fuisse *Guilielmum de Porta!* adeo conuenire omnia reliquo totius operis ingenio!

Hoc loco grauiter quoque commendat antiquorum operum iudici et interpreti linearis picturae peritiam. Quae cui desit, illum parum feliciter in hoc negotio versaturum esse. Multa etiam alia monet, quae si obseruarent ii, qui *antiquarii* dici haberique volunt, nae longe laetior esset harum litterarum species meliorque conditio.

Ipse quidem in hoc libro hoc agit, vt de nonnullis monimentis Musei Dresdensis, exquisita arte claris, quomodo iudicandum sit, quoque nomine alia insignienda sint, doceat, adspergatque alia, quae argumenti similitudo elicit. Initium

tium vero recenſendorum operum facit ab Aegyptiis monimentis, deinde pergit ad Etruſcos, Graecos et Romanos.

Aegyptiis plurimum tribuit Auctor, eosque non ſolum patres auctoresque artium appellat, ſed easdem quoque ab iis perfectas eſſe putat. Inde laudat tres leones, (n. 188) atque inprimis caput Iſidis, (n. 173) cui et antiquiſſimi artificii et magnae pulchritudinis laudem dat. Antiquius eſſe hoc caput omnibus, quae optima ſecula in Graecia protulerint laudauerintque Etruſcae artis praeclarum ſpecimen cenſet Aram, (n. 3) quae aliarum ararum conficiendarum exemplum praebuit. Inter Graeca vero opera eminere dicit inenarrabili venuſtate ſtatuam Veneris. (n. 19) Hanc praefert Mediceae Veneri, cui parem exiſtimat aliam. (n. 28) Illa, inquit, Medicea Venus a. 1762. deſiit ſtatuarum regina eſſe. Tum enim Thomas Ienkins, Anglus, ſtatuam emit Veneris, quae, licet capite careret, quarundam tamen corporis partium dignitate Mediceam ſuperauit. Ea quoque Venus, quam Benedictus XIV. Capitolino in Muſeo collocauit, oſtentat quaedam membra, melius efficta quam in Medicea ſtatua. Capito-

p. 14.
p. 17.
p. 20.

Capitolinae tamen Veneris virilis eſt habitus neque caput Veneri conuenit. Interim et Mediceae ſua laus manet. Integra ea ſtatua exſtat: venuſtate excellit, quam corporis motus conciliat: ſymmetriae regulam et rationem oſtendit. Non minus diſerte laudat ſtatuam foe-
p. 23. minae ſedentis. (n. 35). Agrippina audit vulgo. Winkelmannus quoque hoc eam nomine appellauit. Falſo, vt Auctor putat. Nam ingenium operis antiquius aeuum indicare: nec reſpondere hanc ſtatuam faciei Agrippinae in numis. Nioben dicit vinci ab hac ſtatua. quae quam foeminam referat, ingenue ſe neſcire profitetur. Statuam vero maiorem (n. 122.) Alexandro M. tribuit.
p. 28. Quanti vero illa aeſtimanda ſit, facile intelliget, qui, qua admiratione duo Alexandri capita, alterum Florentinum, Capitolinum alterum, proſequi ſoleant viri docti, ſciat. At perperam caput inſigne a Begero (*) Cleopatrae tribui moribundae. Non certam eſſe foeminae imaginem, ſed excogitatam ingenio ſpeciem: immo Nioben excellenter expreſſam ad pulchrum exemplum

ſec.

(*) *Theſ. Brandenb.* Vol. III. p. 372. et 328.

ſec. VI. circiter. (n. 156). Eidem Be-
gero ingenioſe aduerſatur, dum ille ca-
put Scipioni Africano tribuit (*), quod p. 33.
Noſter ad Achillem, aut Theſeum re-
fert. (n. 152). Nam quod Begerus pu-
tat, leonem, galeae incumbentem, Car-
thaginis victorem indicare, hanc opi-
nionem refutari iuuenili oris ſpecie,
quam hoc caput praeferat. Denique no- p. 35.
bis memorabilia viſa ſunt, quae de ſta-
tua Tucciae (n. 56) dicit, praeſertim
cum eandem fere nuper opinionem lit-
teris prodiderimus. Caput antiquum eſt,
etiam cribrum, licet hoc temporis iniu-
ria laeſum. Sed caput corona cingitur,
e floribus et ramis contexta: qualis or-
natus Veſtali virgini non conuenit.
Quare dubitat Auctor de vulgaris ſenten-
tiae veritate. Quod vero dicit totam rem
videri fabulam ſolique Freinshemio il-
lam deberi, errat. Nam praeter Pli-
nium (**) etiam Dionyſius Halicarnaſ-
ſeus rem memoriae prodidit (***). At-
que hoc loco fatendum eſt, *Caſanovam*
non ſatisfacturum eſſe iis, qui accura-
tam rerum antiquarum cognitionem
vnice

(*) v. ibid. p. 331.
(**) *Hiſt. nat.* l. 28, 3.
(***) *Antiqu. Rom.* L. II. c. 69.

vnice amant. Facile patet, quanta in eo ſit artium ſcientia, quam ſcienter de lineis, de artificum ingeniis meritisque iudicet. Multa ille vidit: et quaecunque vidit, oculis eruditis contemplatus eſt. Comparauit inter ſe antiqua monimenta atque hinc egregias collegit obſervationes. Acumen ingenii et elegantia vbique ſe prodit. Sed linguarum, cum Graecae tum Latinae, accuratam ſcientiam deſideramus, nec *Caſanovam* cum antiquis auctoribus eam familiaritatem, quam in *Winkelmanno* ſuſpiciebamus, contraxiſſe, claris argumentis apparet. Interim vtilis eſt hic libellus, non indignus auctoris fama, multaque continet ingenioſe obſeruata. Nam paſſim adſperſit nonnulla, quae attentum veterum monimentorum ſpectatorem indicant. Nos pauca repetemus.

Cum tanta ſit paucitas ſtatuarum
p. 8. Martis, quibus olim Roma abundabat, putat, multis ſtatuis Martis a reſtitutoribus veterum operum gladiatorum formam habitumque datum fuiſſe. Nunquam addit ſe barbatum vidiſſe Martem: ſemper Martem exhiberi iuuenem. Martem enim Gradiuum, a Montfauconio datum, in villa Medicea conſpicuum,

a recentiore artifice fusum fuisse. In numis antiquis illum apparere iuuenem. [At quid fiet numis Bruttiorum, in quo Martis barbatum caput agnoscunt viri docti (*)?]

Viros doctos in examinandis moni- p. 18. mentis antiquis male, tantum quatuor populos, Aegyptios, Etruscos, Graecos et Romanos ante oculos habere, Auctor monet. Considerandam esse cuiusque prouinciae indolem, non vniuersum populum. Nam alias quoque gentes, praeter Etruscos et Latinos, in Italia sedes collocasse. Sic in vasis, quae Etrusca appellantur, quatruplicem obseruari methodum, diuersum diuersorum populorum ingenium redolentem.

Perculit animum ille locus, vbi dicit p. 23. Auctor, gemmam, in qua Amor claues tenet, a *Winkelmanno* prolatam, nunquam fuisse scalptam: effictam eam esse a Winkelmanno, cui Casanoua hoc fraudis genus alio iam tempore obiecit. Equidem de hac re indicare non audeo. Agitur de fide duorum virorum quos colimus, quos integra bonae fidei laude florere cupimus. Quis iudex lubenter sedeat

(*) v. *Thes. Brandenb.* T. I. p. 340. et *Numophylac. Schulzian.* p. 41.

ſedeat et de tribunali quaſi ſententiam pronunciet? Illud tamen reticere nequeo, iniquiorem aliquoties videri *Caſanovam* in *Winkelmannum*, atque has accuſationes nec ideo placere, quia Winkelmannus jam iis reſpondere nequit, translatus ad ea loca, vbi ſtatuae noſtrae, gemmae et picturae immortali animo non poſſunt non caduca et fragilia crepundia videri, quae nunquam nobis miſeris inuidebit, aut quibus quietem ſuam turbari nunquam patietur.

p. 30. Veras imagines iluſtrium virorum, eo, quo illi vixerunt, tempore, factos, reſtare negat. Artifices ſerius vixiſſe atque ſecutos fuiſſe acceptas a maioribus opiniones. Sed vellemus auctor ſubtilius hanc opinionem, cui non omnino aſſentimur, explicuiſſet.

p. 37. Nullum ait ſe vidiſſe obſcoeni et libidinoſi argumenti monimentum, quod artis exquiſitae ſubtilitas et venuſtas commendaret. Gemmas tamen excipiendas eſſe. nam harum quasdam excellentiſſimas exſtare.

p. 38. Non certe definire audet, num Romani Hermaphroditorum ſigna finxerint. nam libera respublica deteſtabatur haec monſtra, vt volunt, et ludibria naturae.

Graeci de iis mitius iudicasse videntur. nam hi vtrumque genus etiam diis tribuerunt. Apollinem hermaphroditum, in gemma Auctor vidit; nullam vero Romanam Hermaphroditorum statuam. Forte Romani quoque mutata reipubl. forma hanc sententiam mutauerunt. Plinius enim eos hermaphroditis delectatos fuisse prodidit.

Obseruat Auctor, id quod nos quoque p. 61. alio loco et tempore, Medicinae Veneris documento admonitos, docuisse recordamur, praecipuas operis alicuius partes veteres summa cura perfecisse; in reliquis, praesertim in parergis, negligentiam ostentasse: eamque interdum nimiam.

Animaduertisse sibi visus est Auctor, p. 66. saepius statuarios antiquos dolorem atque tristitiam expressisse, quam serenitatem et laetitiam oris: raro vero summam siue doloris, siue laetitiae vim, raro risum fletumque: plerumque amasse tranquillam seueritatem: eorum affectuum vehementiam praeferre infimi ordinis deos, Faunos. nam risum rusticitatem illorum prodere.

Praeterea non pauca Auctor de vestibus antiquis monuit, quarum vt accu-

ratiorem descriptionem viri docti suscipiant, optat. Ipse vero, licet bona et vera moneat, parum accuratus est, vel si ipsa, quibus vestes appellat, nomina consideres. Sed haec aliaque facile eruditi lectores animaduertent.

Ego vero, cuius in animo patriae meae amor nunquam exstinguetur, vehementer opto, vt, quae Museum Dresdense complectitur, monimentorum imagines nouo opere dignoque illorum praestantia euulgentur. Cui si negotio praeficiantur viri harum rerum intelligentes, ingeniosi et eruditi, adhibeanturque linearum sculpturaeque periti homines, quale censeamus opus proditurum esse? Nancisceretur, haec si fortuna nos respiciat, profecto totus orbis largam laetandi materiem gratulandique tum litteris tum nostrae aetati, tum Saxoniae ipsi immortale et ad seram posteritatem nostrorum temporum gloriam prorogaturum monimentum.

CON-

CONSPECTVS LIBRORVM

QVORVM CENSVRAE,

VOLVMINIS VI. PARTE I.

CONTINENTVR.

I. P. Terentii Afri Comoediae, ex recensione Danielis Heinsii, collata ad antiquissimos MSS. Codices Bibliothecae Vaticanae, cum variantibus lectionibus laruis et personis, deprompris ex eisdem codicibus, et Italica versione, recensuit notasque, antiquam artem comicam et nonnulla antiquitatum Romanorum monumenta illustrantes, addidit *Carolus Cocquelines*. - p. 3
II. Georg. Frid. Mulleri Varii Generis Carmina Latina, denuo excusa cum additamentis. - - 17
III. Museum Schoepflini: recenset Ier. Iac. Oberlin, AA. LL. M. I. Lapidarium. - - - 33
IV. Dissertatio de Simonide Ceo, Poeta et Philosopho, quam, secundo Dei Opt. Max. numine, Praeside *Ryckl. Mich. van Goens*, S. Caes. Reg. et Apostol. Maiestat. Consiliario, Hist. Eloq. AA. et L. Graecae in hac Acad. Prof. Extraord. d. XV. Iun. H. L. Q. S. publico commilitonum examini disceptatorio subiicit auctor *Petrus Gerardus Duker*, Traiectinus. - - - 38

V. Specimen Academicum, exhibens obseruationes nonnullas apologeticas pro Iureconsultis Romanis ad locum Ciceronis in oratione pro Murena, capp. XI-XIII. princ. quod — pro gradu doctoratus — eruditorum examini submittit *Ioannes Luzac*, Ioan. Fil. Leida-Batauus. - - p. 44
VI. Elogium Cornelii Valerii Vonkii. 54
VII. Dactyliotheca Smithiana. Vol. I. et II. - - - 68
VIII. Petri Lucretii Struchtmeyeri Epistola Critica in Glossas Nomicas, ad Virum Clarissimum Herm. Cannegieterum. - - - 83
IX. Neandri, Academici Roboret, Lapsus Protoparentum, ex Poemate Miltoni, Cantus VI. Accedit Supplementum ad Lib. VI. Aeneid. de fatis Imperii Romano Germanici et Aug. Gente Austriaca. - - 91
X. Delitiae Sapientiae de amore coniugiali; post quas sequuntur voluptates insaniae de amore scortatorio ab *Emanuele Swedenborg*, Sueco. - 109
XI. Discorso sopra gl'Antichi, varj monumenti loro, per uso degl' alumni dell' Elettoral' Accademia delle bell' Arti di Dresda, di G. *Casanova*, Professore della Medesima. - - 120

ACTA
LITTERARIA.

SCRIPSIT
CHRIST. ADOLPHVS KLOTZIVS

— *Librum, si malus est, nequeo laudare.*
IVVENAL.



VOLVMINIS VI. PARS II.

ALTENBVRGI
EX OFFICINA RICHTERIA.
CIƆ IƆ CCLXXI.



I.

Disquiſitiones Plinianae, in quibus de vtriusque Plinii patria, rebus geſtis, ſcriptis, codicibus, editionibus atque interpretibus agitur, auctore Antonio Ioſeph Comite a Turre Rezzonici, Patricio et I. C. C, Nouocomenſe, in Parmenſi legione tribuno militum, Equite ordinis ſancti Iacobi, Philippi, Sereniſſ. Regiique Hiſpaniarum Infantis etc. honorario Coſmeta.

Parmae, excudeb. Borrii fratres, Vol. I. 1763. Alph. 1. pl. 16. Vol. II. 1767. Alph. II. plagg. 6. fol.

Ipſe operis, non ſine multo labore compoſiti, illuſtris Auctor quaedam de ſe aſperſit, quae, illum aliis iam libris ſibi nomen famamque apud ſuos peperiſſe, oſtendunt. Commemorat orationem in *funere Ioſephi Ma-*

riae Stampae habitam (I. 11) aliamque *pro nouo Ratiocinatorum collegio* (I. 21) nec semel *Epinicia Musarum;* interdum prouocat ad libellum *de suppositi-tiis militaribus stipendiis Benedicti Odescalchi.* (II, 345). Pie quoque celebravit aliquo loco (I. 189) memoriam patris, Ioannis Paulli, Mediolani mortui anno huius seculi XLIII. atque "toti, vt ait, Insubriae editis voluminibus, facundia, pietate, notissimi." Sed quid commemoremus haec, cum nomen auctoris satis illustretur hoc, quod in manibus habemus, eruditionis monimento? Ab auorum et generis nobilitate ii commendationem petant nominis, qui sua virtute sibi decus famamque parere nequeunt.

De consilio, quod in hoc libro scribendo secutus est, Auctor sic loquitur: "Hermolai Barbari, Ferdinandi Pintiani aliorumque exemplum sequimur, qui castigationes suas a naturali historiae corpore separatim ediderunt. Vti has a subsequentibus typographis recusas laudamus, eadem methodo animaduersiones nostras (vbi non omnino inutiles euadant) posteri Naturalem Historiam inuulgantes publicabunt" (*praef.* p. 8.)

Et

Et erit profecto hoc opus futuro Plinii editori iucundissimum. Ii vero, qui nunc viuunt, admirabuntur auctoris indefessam diligentiam, quam in colligendis vndique, quae huc pertinerent, in comparandis antiquis libris, in euoluendis tot scriptoribus, in illustrandis tot obscuris locis, posuit. Nos lubentissime hanc doctrinae copiam et varietatem in Nostro laudamus, eamque ideo etiam magni facimus, quia, id quod in Italis raro deprehendimus, non solum cognitos habet exterorum libros, sed humanum quoque et aequum ingeniorum se arbitrum ostendit, quoties exterorum mentionem iniicit. Nisi fallor, inuidiam haec animi liberalis indoles auctori conflauit apud eos, qui, caeco impetu abrepti, omnia reiiciunt, quae non a se suique similibus dicta scriptaque sint, nefasque censent, laudari quenquam, qui non in sinu Romanae ecclesiae consenuerit. Huc enim spectare videntur nobis illa verba (I, p. 308). "Nollem vltimo ineptorum quorundam Cucullatorum rabiem exacuisse, eo, quia paucos laudauerim, qui in Theologicis disputationibus Romanae ecclesiae sententias impugnarunt. Neque enim ob

hanc rem, (omnino improbandam) doctos homines celebraui. Vt Diui Augustini verbo vtar: Trinitatis mysterium, animorum immortalitatem, malorum poenas, bonorum praemia, moralem viuendi rationem ex Romanae ecclesiae placitis ineluctabiliter recipio. Verum in reliquis, quae nihil ad Ethicam, nihil ad Christianam persuasionem spectant, sed vnice Philosophicas Quaestiones et Naturae arcana inuoluunt, Ethnicum, Idolatrem Iudaeumque sequar, si veriora Cucullatis vulgasse videbuntur. Nihil igitur nobis officiant, Zieglero, Melanchthoni, Rhenano, Ebero, aliisque tributa, (vbi ea promeruerunt) elogia, cum politiores litteras, non theologicas respiciant disputationes. De vltimis cum magnus Cuiacius rogaretur, nihil similia ad Praetoris edictum pertinere respondebat, vt se vndique Romanae ecclesiae persuasionem accedentem ostenderet, cui, et Maximo Pontifici omnia a nobis prodita atque inuulganda submittimus." Totam repetiimus orationem, quia eam non minus aliis quam nobis placituram esse speramus. Haec ingenua in indicando aequitas bonorum animos laudes-

que

que auctori conciliabit, tantumque verae gloriae in illum conferet, quantum abhorret ipse ab aliorum moribus et sententiis.

Magis placeret hoc opus, tanta eruditionis copia plenum, si oratio plus haberet elegantiae, minus asperitatis. Quid? quod interdum vix seueritati Grammaticorum satisfecit Auctor. Vno verbo, fatigatur lectione animus. Quod fastidium hinc quoque oritur, quod adnotationum immensa copia obruit lectorem, perpetuae orationis ordinem turbat, aliaeque adnotationes aliis auctae aciem ingenii, vt oculorum, hebetare videntur. Sed haec aliaque non durius reprehendenda sunt in opere eruditissimo. Etiam in figlinis pateris gemmas nobis praeberi patimur, modo hae probae sint. Argumenti vero varietas cognoscetur ex iis, quae de singulis libris dicemus.

Lib. I. Recensentur tempora C. Plinii Secundi et C. Plinii Caecilii Secundi. Indicatur illorum error, qui vnum Plinium e duobus conflauerunt. Cuius erroris caussam inde repetit, quia a sec. II. vsque ad XII. omnes prope Chronicorum scriptores epistolas Plinii ignoraue-

 runt,

runt, omniaque ideo retulerunt ad Plinium seniorem. Sequitur disputatio de senioris Plinii patria, a tot viris doctis agitata, quorum alii a Veronensium, alii a Nouocomensium partibus steterunt. Hoc libro recensentur scripta illorum, qui hanc controuersiam attigerunt. Illorum sat magnus est numerus. Quo ex indice intelligimus, neminem ex antiquis seniorem Plinium Veronensibus adscripsisse; primum, qui Veronae hoc decus vindicare voluerit, esse Ioannem, Veronensis ecclesiae Mansionarium, qui tempore Henrici IV. Imperatoris chronicon scripsit. Hic quoque tantum vnicum Plinium cognitum habuit, epistolarum vero auctorem, sicut alii, ignorauit.

Lib. II. Argumentum continuatur. Primo loco refelluntur ea, quae Io. Anton. Pantheus et Matthaeus Rufus, Veronenses, de Secundorum familia protulerunt. vbi ratio praenominis, nominis et cognominis apud Romanos simul explicatur. Collegerunt enim illi nonnulla monimenta, Veronae atque in Veronensi regione, Secundorum nominibus insignita, atque hinc ostendere studuerunt, historiae Naturalis auctorem

rem e Veronensi Secundorum familia ortum esse. Noster vero docet, non ad vnam cognatamque, sed ad diuersas omnino gentes pertinere illa monimenta. Secundo loco eleuatur auctoritas, qua Veronensis causae patroni vtuntur, lapidis, qui verba PLINIVS SECVNDVS AVGVR etc. exhibere dicitur, licet, qui eius mentionem fecerunt, valde dissentiant a se inuicem de vera lapidis lectione. Potest enim hoc monimentum omnibus, quorum gentilitium nomen in INIVS desiit, tribui. Temere quoque abutuntur eo, dum e litteris .... NDV .... cognomen Secundi eliciunt. Vno verbo: hoc monimentum plane nil in hac controuersia efficere, nulloque illud loco habendum esse, luce meridiana clarius est. Vltimo loco examinatur titulus, inuentus in Benacii ripa, a Palermo allatus celebratusque:

C. PLINII ..... VERONENSIS
..... HISTORIARVM
H. L .... OMNIVM
... NEC NON .. T ... C
.... XXXV ... CONS ... MACER.

Eidem lapidi inter nostros nimium tribuit Io. Funccius. Recte vero Auctor indignum illum appellat, qui eruditorum

K 5 oculis

oculis subiiciatur. Nam vndique apparet, quam parum illi tribuendum sit, quamque ridicule egerint, qui illius interpretationem dare conati sint.

Lib. III. Refutatis argumentis, quae Veronensibus fauent, Comensium caussam suscipit Auctor. Ideo Pliniorum gentem Comi celebrem et vetustam in priscis marmoribus ostendit. Sed altius rem repetit. Primum agit de origine Comensium. Mox reiicit eos, qui Pliniani nominis originem e Graecia deriuant, licet ipse quosdam Plinios in Graecia inueniat. Ipse coniicit, post Claudii Marcelli triumphum Plinios Comum deductos esse, vel indigenas tunc Romanorum nomina et leges accepisse. Denique non pauca adfert monimenta, in quibus Plinianum nomen occurrit, Comensia. His interpretationem addidit. Longius moratur in monimento, cui veram lectionem restituit, C. Plinii Fausti, in Equestri colonia Aedilis, Duumuiri, et Flaminis. quod ad Comenses spectare indicant notae O V F. quae ad tribum OVF*entinam* pertinent.

Lib. IV. In tabula exhibet Auctor omnia, quae ad vtrumque Plinium pertinent,

tinent, certis annis quaque re assignata. Annus Vrb. cond. IↃCLXXIII. respondet XXVIII. imperii Octauiani Augusti. Prima tabula desinit in anno post Chr. nat. LXXIX. Vrb. Cond. IↃCCCXXXI. Titi Imp. I. quo Plinius senior periit. Adduntur vsque ad hunc annum, quae ad iuniorem Plinium spectant, copiosiusque in altera tabula explicantur, ab a. V. C. IↃCCCXIII. vsque ad a. IↃCCCLXXII. Quo rectius quisque de rei chronologicae difficultate iudicat, eo maiore laude dignam existimabit solertiam Auctoris. nam egregie res suas egit. Has tabulas excipiunt antiquorum auctorum loca et testimonia, adnotationibus illustrata. Animum aduocant inprimis binae epistolae Plinianae (III, 5. VI. 16) quarum lectiones cum codicibus comparauit. Sequuntur Christianorum scriptorum de Plinio iudicia, quorum agmen Alcuinus claudit.

Lib. V. Hic liber complectitur narrationem accuratam et copiosam de vita, rebus gestis et scriptis Plinii maioris. Praefixit illi imaginem Plinii, quae tamen non vbique respondet moribus aeui antiqui, aliamque addidit, iam a Theueto vulgatam. Verissime nobis dicere

cere videmur, neminem tam accurato ſtudio, tanta cura, explicuiſſe ea, quae ad Plinii vitam et ſcripta pertinent, quantam Auctor noſter adhibuerit.

Lib. VI. Propius hoc in libro Auctor ad opus Plinianum accedit. Inſcripſit librum: *de titulo, ordine et fine, quibus Plinius naturalem hiſtoriam vulgavit.* Docet igitur idoneis argumentis, praefationem ad Titum, rerumque, quae opere continentur et auctorum, quibus vſus fuit, breuem notitiam ab ipſo Plinio compoſitam fuiſſe. Contra capitum diuiſionem valde vituperat, eamque plurimum codicum auctoritate reiicit. Quia etiam Harduinus praefationem eo argumento oppugnat, quod Catullus Plinii *conterraneus* ibi vocatur, copioſe Auctor cum de vi huius verbi, tum de loci ſenſu diſputat. Ipſe vero infra (p. 247) *concerraneum* emendat. id eſt, congerronem.

Lib. VII. continet refutationem illorum, qui Hiſtoriam naturalem vituperauerunt. Praeter Aulum Gellium refutantur Antonius Vallisnerius, Nicolaus Leonicenus, Ioſephus Scaliger, alii plurimi. Contra hos oſtendit Auctor, Plinium Graecae linguae, hiſtoriae naturalis,

ralis, rei herbariae, rerum Romanarum peritissimum fuisse. Quod quidam dicunt, Plinium in herbarum arborumque nominibus, Latino sermone reddendis, frequenter errasse, Noster respondet: "Ab ignorationis et oscitantiae culpa Plinium vbique vindicandum censeo, nisi certissime nobis constet, illum in vertenda aliquorum sententia deceptum fuisse." Multa, in dubium ab aliis vocata, aut negata, firmare et defendere nititur. Egregie illustrat, quae Plinius de crystalli origine scripsit, sententiis explicitis eorum, qui naturae arcana scrutantur. Praeterimus alia, atque iis legenda relinquimus, qui ineptis, certe non necessariis, reprehensionibus veterum auctorum libros onerant. Denique de stilo Plinii agit, perperamque illum cum stilo Senecae a Politiano comparari docet. Sed neque Noster modum in laudando Plinio tenet, vbi dicit "nil magis in Plinio extra omnem ingenii aleam poni, quam stylum" et "musas non alia lingua quam Pliniana Latine loqui debuisse."

Lib. VIII. Exhibetur praefatio Plinii, commentariis amplissimis instructa, in quibus et aduersus Harduinum dicendi genus

genus defendit, et multorum codicum, quos consuluit, (XXV. cod. immo plures, inspexit) manu scriptorum lectiones adfert. Neque negandum profecto est, non paucas lectiones bonas ab Auctore proferri, egregieque restitui quorundam locorum integritatem, licet verbosius rem agat, quam aut necesse sit, aut iucundum. Addidit quoque Italicam praefationis interpretationem.

Finem huic volumini imponit epistola ad Cl. Paciaudium, qua, quae Plinius de Veleiatibus scripsit, illustrantur.

Lib. IX. qui primum in *secundo* volumine locum habet, plurimas continet locorum difficiliorum interpretationes. Elegit vero eiusmodi loca, quibus e codicibus veram lectionem reddi posse putaret, aliaque explicuit, quae Mathematicis, Historicis, Geographicis, Philosophicis cum narrationibus tum sententiis explicandis inseruirent. Interdum vidimus, lectiones afferri ab Auctore, quae diuersum plane sensum habeant, v. c. p. 4. n. 6. p. 27. p. 37. p. 60. p. 79. Si quis illustre inprimis exemplum cognoscere cupiat, consideret p. 181. de obelisco ratibus deuecto. Quid multa? omnium, qui adhuc ad

Plinium

Plinium explicandum accesserunt, diligentiam superauit Auctor, hoc quoque nomine laudandus, quia non magis de verbis, quam de rebus ipsis illustrandis sollicitus fuit. Consideratis vero iis, quae e codicibus ab auctore proferuntur, interdum mirari lubuit, quomodo factum sit, vt tam corruptum, tot erroribus plenum ad nos peruenerit Plinianum opus. Verissime enim Auctor p. 279. dicit: "Maxime indolendum, quod iniquo Plinii fato nullum Antiquorum opus extiterit, cui magis offecerit exscriptorum ignorantia et impressorum audacia."

Lib. X. Recensentur Plinii codices manu scripti accurate et docte. Perlustratis enim bibliothecis variis, vt Mediolanensibus, Taurinensi regia, Parmensi, Placentina, aliis in Italia, Hispania, Gallia, Belgio, Anglia, Germania, Plinii codices sic describit, vt, quid de quoque debeat iudicari, doceat.

Lib. XI. Ad editiones Plinii transit, earumque recensum agit, orsus a principe Plinii editione, quae apud Io. Spirensem Venetiis 1469. prodiit, cuius exempla vix centenarium numerum attigerunt. Huic subiungit alium recensum interpretationum.

num (ipse *aemulationes* appellat, nescio quo reconditae doctrinae studio) Plinii, Italicarum, Gallicarum etc.

Vltimo loco apparet epistola ad Cl. Franc. Iaquerium, in qua ostendere nititur, Obeliscum, qui in campo Martio est, non vnice ad tempus meridianum iudicandum ab Augusto positum fuisse, sed integras sciotherici horologii vices praestitisse.

II.

De solis ac lunae defectibus Libri V. Rogerii Iosephi Boscouich, Societ. Iesu, ad Regiam Societatem Londinensem. Ibidem autem et Astronomiae Synopsis, et Theoria Luminis Newtoniana, et alia multa ad Physicam pertinentia, versibus pertractantur; cum eiusdem auctoris adnotationibus.

Londini, apud A. Millars et Dodsleios, 1760. pagg. 250. 4.

Nescio, quomodo factum sit, vt nemo eorum, qui de libris nouis ad viros doctos referunt, huius carminis mentionem iniecerit, cui summa laus elegan-

elegantiae debetur. Verbis concinnatum est puris et luculentis: numerorum venustas mirifica animum capit et recreat: cultissimae orationis nitor vbique ingenium poetae vrbanum, amoenum et elegans prodit: imaginum varietas, digressionum suauitas, descriptionum vigor et comparationum apta copia argumentum obscurius exhilarant. In eo enim argumento versatur poeta noster, quod cum ob multiplicem doctrinae subtilitatem impetum ingenii quasi retardare et poetico ornatui aduersari videatur, feliciter tractatum, orationis et numerorum cultu summo expolitum verborumque honore iucundissimo decoratum, ad summam ingenii commendationem faciat, necesse est. Licet enim Nostro iisdem verbis gloriari, quibus olim Manilius vsus est:

Mihi per numeros ignotaque nomina rerum
Temporaque et varios casus momentaque mundi
Luctandum est: quod nosse nimis, quod dicere quantum est!
Carmine quod proprio, pedibus quod iungere certis!

 Sed

Sed superauit admirabili arte et facundia omnia, quae obstare videbantur, obscura de re dum lucida carmina pepigit et musaeo lepore omnia consperfit. Quare equidem nullus dubito, *Boscouico* locum inter optimos, qui recentiore tempore vixerunt, poetas tribuere, atque hoc carmen elegantissimis praestantissimisque cum carminibus conferre audeo, quae ad didacticum carminum genus pertinent. Adscribetur profecto *Boscouici* nomen ad illorum poetarum nomina, qui, cum Lucretio et Manilio de palma contendere ausi, immortalia carmina condiderunt.

Operae pretium est, initium carminis repetere, vt, quod argumentum sibi poeta canendum sumserit, intelligatur. Sic vero orditur:

Cur quondam aethereas Titan sine nube per auras
Dum micat, et puro respergit lumine terras,
Praetexat subita nitidos ferrugine vultus,
Impatiensque morae fuscis non prodeat alis,
Atra die medio, stellasque inducat Olympo;

Cur,

Cur, ſudo dum laeta nitet Latonia coelo,
Nunc tenebris condat caput et nunc ſanguine multo
Inficiat frontem, Latiis memorare Camoenis
Aggredior, penitusque imas educere cauſas.

Tu mihi, qui Arcadico, aethereo qui ſummus Olympo,
Phoebe, nites, naturae aditus tu pande repoſtos,
Diuinumque immitte iubar, tu ſuffice venam
Te dignam: tua res agitur, ſeu lumina terris
Ipſe neges, ſolita ſeu fraudes luce ſororem.

Tuque adeo Aonias inter mihi maxima diuas,
Vrania, terras quae dedignata iacentes
Alta petis curſu et caput inter ſidera condis,
Huc ades, atque tuum facilis ne deſere vatem.

Ante tamen Pindique patrem doctasque sorores
Te primum mea vota vocant, te in carmina poscunt,
Nobile Parkeridum germen, meritissime docti
Angligenûm coetus praeses; te namque superba,
Te duce lecta cohors Naturae arcana latentis
Regalem ad Thamesis ripam scrutatur, et omnes
Telluris vastae comperta effundit in oras.
Quae canimus, vestris pars maxima debita curis.
Pandimus astrorum et positus motusque: quis ignes
Seruare aethereos, cursumque notare fugacem
Aptior, et longum ignotas deprendere leges
Ingenti Bradleiiade, cui diua tuenti
Assidet Vranie totumque recludit Olympum?
Persequimur teretesque tubos inclusaque vitra,
Filaque, quae tenues coeli dant prendere partes,

Men-

Mensurasque aeri incisas: quis in arte tuborum
Par Shorto, seu vitra velis, seu dura metalla
Inserere atque imis adducere sidera terris?
Anne notas alibi melius super aere rigenti
Sculpere mos cochleisque pares inducere spiras?
Quid memorem fato raptos? mea carmina vestri
Et laudes celebrant Halleii et docta reperta,
Et memorant culti mira instrumenta Grahami,
Aurata aequales dum cuspide diuidit horas.
Angligenûm sed primus honos et gloria tanti
Prima chori longe ante alios Newtonus ibidem
Emicat, atque operis mihi magna in parte refulget.
Seu referam implexis Phoeben erroribus actam;
Ille mihi astrorum nexus viresque ministrat,

Siderei queis ſeſe ignes per mutua turbant;
Siue Deam media ſordentem ſanguine in vmbra;
Ille almae textum lucis, mixtosque colores
Suggerit et longi dat carminis argumentum.
Idem ergo et ſummo inſeritur mihi celſus Olympo,
Iam Numen, coliturque hymno; dum digna recenti
Surgunt templa Deo, dum maſcula thura parantur.

Ergo opus excipite atque aures adhibete canenti,
Tuque, et tota cohors, facilemque adiungite mentem,
Ac trepidum aſſenſu vatem firmate ſecundo.

Nonne ex ipſo operis ingreſſu intelligitur furor Muſarum Latinarum, qua *Boſcouicus* noſter fruitur? At multo ille luculentius intelligetur, ſi totum carmen perlegas, ſi, quam elaborata, exquiſite ornata, venuſta omnia ſint, conſideres, deguſteſque illam gratiam et ſuauitatem,

quae, per omnes versus diffusa, laetissime enitet. Nos, licet vehementer cupiamus, hoc opus legi ab omnibus, qui sensum pulchritudinis seruare velint, Latinasque Musas ament, digito tamen indicabimus insigniores versus, quorum lectione liceat animum, defessum tot Criticis ineptiis litibusque, paullisper recreare.

Lib. I. Astronomiae vniuersam doctrinam complectitur sic, vt, quae ad coeli astrorumque cognitionem faciant, exhibeat. Pulchra est descriptio Zodiaci, a. v. 92.

In medio stellis ardet fulgentibus ingens
Fascia, et immenso coelum complectitur orbe,
Excurrens longe, qualis quae regia frontem
Praecingit vitta, et comtos de more capillos
Comprimit astringens, vel qui demittitur alte
Ex humeris, laterique affixum sustinet ensem
Balteus, Eoo aduectis e littore gemmis
Concharumque nitet spoliis auroque refulget.

Legitur enarratio duodecim ſignorum, quorum dum originem natalesque commemorat, occaſionem inuenit, exornandi verſus veterum fabularum ſuauitate. Quantam copiam, quas diuitias expromit, vbi de aequinoctio verno loquitur: v. 415. ſequ.

Non illo imparibus noctem diſcriminat horis
Atque diem Titan, non illo tempore toruus
Aut Aquilo, aut Boreas ſaeuit, glacieque niuali
Et ſyluas camposque, atque alto 'a culmine montes
Obruit et gelido conſtringit frigore membra.
Nec nimium Coelo Titan elatus aperto
Arentes findit campos glebasque reſoluit.
Sed faciles ventorum animae, leuis aura per herbas
Ludit, odoratis Zephyrusque immurmurat alis.
Ipſa annum renouata nouum Natura ſereno

Excipit

Excipit arridens vultu frondesque virentes
Per nemora et saltus, per prata virentia flores
Effundit late et blandos inspirat amores.
O me illo raptum qui tempore propter amoenas
Eridani ripas sistat, vel Thessala Tempe
Carpentem flores, mulcentemque aëra cantu!

Incredibili venustate a. v. 640. explicat leges Keplerianas, quas planetae primarii et secundarii obseruant. Libro ipsi finem imponit iter Promethei in coelum, tempore nouilunii, (a. v. 921 sequ.) a quo fingit hanc rerum coelestium scientiam cum mortalibus communicatam fuisse.

In *Lib. II.* vnde cum solis, tum Lunae defectus oriantur, exponit, quoue ordine et quibus temporum interuallis. Rogat Musas, vt sibi caussas defectus narrent: v. 126.

Quis tamen, Aonides, quis tantum immanibus ausis
Tollitur, et rutilae vitales lampadis ignes

Praeripit heu! miſeris mortalibus, atque
nitentes
Confundit caeca inuoluens caligine terras?
Principio ne fixa alte, aut errantia credas
Sidera poſſe Dei nitidos obducere vultus.

Audiuere preces poetae Muſae, aut potius ipſae cecinere cauſas defectus. nam illis verſibus nil clarius et elegantius. v. 344. ſequ.

Ergo ſoror Phoebi, nam ſola ex omnibus aſtris
Iam ſupereſt, ac parte nitet qua ſuſpicit ignem
Phoebeum, parte auerſa nigreſcit, et orbis
Aequat fraterni ſpeciem, menſesque per omnes
Aſſequitur lentum ac coelo decurrit eodem,
Sola ſoror tanti miſeris eſt vnica terris
Cauſa mali, ſoror vna atro Titania dorſo
Ora tegit, nobisque datos intercipit ignes.
Scilicet auerſo quoties iubar exuit ore
Extremo iam menſe latens, tenuataque fronte

Cornua depoſuit, ſeque alta condidit vmbra;
Terram inter ſolemque ſubit, Terramque nigranti
Deſpectat vultu, radiantem obuertit Olympo.
Tunc igitur, ſi ſe penitus mediam inſerat, atque
A recto poſitu nihil hinc, nihil inde recedat
Auia, Phoebeos vultus tegat, exceptumque
Praeripiat terris iubar, atque auertat oportet.

Ad optimos quoque verſus non huius tantum carminis, ſed ad optimos ornatiſſimosque quoscunque, quibus poetae res deſcripſere, natura quae ſua videntur minus nitorem orationis capere, iure referre mihi videor eos, quibus micrometra deſcribit, quae dicuntur ocularia interna, filisque quibusdam intra teleſcopium collocatis conſtant. v. 723. ſequ. Nos tantum repetemus verſus, quibus rei, nunquam Latinis verſibus cantatae, deſcriptionem incipit.

Quo

Quo tamen Aoniis numquam exaudita sub antris
Instrumenta canam versu, quo fila retexam
Arte tibi, formamque abstrusae molis, et vsum
Multiplicem euoluam pandens numerisque docebo;
Non illis, vasto quibus ipsa errantia coelo
Sidera mensores adstringimus, atque potenti
Nequidquam obstantes fraeno parere iubemus;
At quibus adstrictos durus deuincit Apollo,
Obiectoque vetat vates discurrere campo?
Tu, Dea, quae summo fabricatum munus Olympo,
Vranie, tute ipsa tuae cultoribus artis
Aptasti, longos demum miserata labores,
Vitra tubo includens laeuissima, filaque vitris
Inserta adiungens, densis lentissima spiris
Motanda ac teretis celeri vertigine virgae,
Tu cantum, tu, Diua, rege: haud communia posco

Munera, noui equidem, audaci nimis incitus oestro,
Quando haec Aoniis celanda sororibus arma,
Ignotamque tuis noluisti vatibus artem
Iam dudum, ingenuo prohibens concludere versu.
Tentabo tamen et facili si numine praesens
Adstiteris, Diua, aggrediar, numerisque coercens
Te duce primus ego tam mira reperta Latinis
Adstringam, primus Parnassi in vertice sistam.

Nec ineptum hic liber finem sortitus est. Enarratis enim causis veris defectuum, deplorat illorum seculorum infelicitatem, quae, cum eas ignorarent, monstra fingerent et terriculamenta, atque sensim ad solis defectum, qui, Christo cruci affixo euenit, progreditur. Sed non placet hic locus. Offendit animum confusa commixtaque doctrina Christiana cum fabulis, quibus ad ornandum carmen vsus est.

In *Lib. III.* quid exponat, ipse docet:

Nunc

Nunc age, velati nigrantem lampada Solis
Quae tenuis circum lux ambiat; vnde repente
Exiliant toto radiantia ſidera coelo;
Cur, penitus merſo tenebris Titane, per auras
Nox plena atratis non protinus euolet alis;
Cur, medio Phoebi vultu latitante, ſerena
Plena dies niteat fronte, intactumque tuenti
Exhibeat iubar, expediam, cauſasque latentes
Protinus euoluam primaque ab origine pandam.

Perſequitur enim ea, quae in ſolari defectu obſeruantur. Argumentum, vt ſentias ingenii poetici vbertatem, ſoluta oratione ſic exprimes. Docet Auctor, quod lumen Solem ambiat in pleno defectu penitus deliteſcentem; cur in pleno defectu ſtellae appareant interdiu, cur tum non ſit nox obſcuriſſima, ſed quoddam velut crepuſculum, cur, dimidio etiam Sole deliteſcente, vix vllum luminis detrimentum ſentiatur.

Com-

Compara haec cum versibus, et quid ingenium atque facundia poetae ad ornandam sententiam attulerit, disce.

Comparationem suauem, quam inde a. v. 525. intexuit carminis, non negligendam esse moneo. Nos vero versus illos repetemus, quibus descripsit, vnde coelum obseruant Astronomi Parisiis, turrim regiam. *v. 681.*

Est locus Europae in medio, qua regius altis
Ingreditur ripis, dominamque interluit vrbem
Sequana. Diues opum et duro fortissima bello
Gens tenet, at simul et placidae studiosa Mineruae.
Hic templum Vraniae, solidoque e marmore vastae
Consurgunt aedes et vertice nubila pulsant
Turba frequens venerata Deam iuuenumque senumque
Affluit; illa sedet solio sublimis in alto,
Sceptra tenens stimulatque animos ad grandia natos.

Parieti-

Parietibus circum et summi ad fastigia tecti
Arma Deae pendent defixa, globique, tubique
Lentibus instructi vitreis tensisque capillis,
Armillae, sectique orbes ex aere corusco,
Fulgentesque auro radii, momenta notantes
Fluxa rotae, ac rigidis pendentia pondera virgis.
Nec satis, aeriam duxisse ad nubila molem;
Sub pedibus quaesitae vmbrae, patefactaque terrae
Viscera, praecipitique solum discessit hiatu:
Aeternis horret fouea alta obducta tenebris,
Excluditque diem: fundo Nox tristis in imo
Excubat, horrentique minax se iactat in vmbra,
Tetra per obscurum ducit quo semita callem,
Tresque patet coeli spatium, non amplius vlnas.

Ergo

Ergo illinc, puro Titan licet altus Olympo
Fulgeat, et multo colluſtret lumine campos.
Si forte aethereas vultum conuerſus ad oras
Extuleris, ſummumque oculis ſpectaueris Axem;
Protinus, vt media quondam radiantia nocte
Adſpiceres denſam radios vibrare per vmbram,
Aſtra vides, caecumque poli diſtinguere tractum:
Vsque adeo oppreſſis Phoebi iubar officit aſtris.

Scilicet haec copioſius enarranda erant, quia hoc loco illud propoſitum erat poetae, vt doceret, ex locis maxime obſcuris ſtellas interdiu conſpici poſſe. Excellenter inuentae expreſſaeque comparationes binae v. 842. ſequ. leguntur. Mox, poſteaquam dixit, homines non intentis oculis ſolis lumen intueri poſſe, olim praedicit poſt mortem oculorum aciem auctum et roboratum iri; quod dum dicit, non inuenuſtum libro exi-

 tum

tum parat. Illa enim felicitate celebrata, in haec vota erumpit:

Phoebe, pater, medio cessas quid lentus Olympo?
Quid cohibes tardos fraeno remorante iugales?
Vrge, age, fac celeri decurrant saecula gressu,
Fac citius miseris fugiat mortalibus aetas,
Et roseis tam fausta dies exurgat ab vndis.

Progredimur ad *Lib. IV.* cuius argumentum quam arduum et difficile sit, quisque intelliget:

Post serta obductam Phoebi cingentia frontem
Candida, fulgentesque comas, radiumque bicornem
Signiferi oppositis protentum finibus orbis,
Et vim diuini iubaris, plenumque, latente
Dimidio quanquam ore, diem, te, Diua triformis
Te canimus niueos prima Telluris ab vmbra

Pallen-

Pallentem vultus, tum siue sub Axe latentem
Nigranti, raptamque oculis, seu luce maligna
Persusam late et turpi caligine foedam.

De iis agit, quae deficiente luna accidunt; inprimis vero tractat locum difficilem de penumbra, vt mathematici loquuntur, et lumine, quod ab atmosphaera terrae refractum in lunam incidit. Totam distributionis huius refracti luminis per vmbram terrae rationem explicare nititur. Quid miramur, poetam ipsum intellexisse, quanta difficultas tractando argumento tam subtili insit, questumque fuisse de ea? Sic ille, v. 256.

Sed quoniam nodis et dura compede vincli
Heu miseri vates adstringimur atque notarum
Vsus abest, numeros versu nec possumus omnes
Exprimere et rerum mensuras dicere certas;
Pauca tibi expediam, quae multum oratus Apollo
Parnassique silent leges et dura Camoena.

Et alio loco: v. 571.

At qua ſe denſam lux aëre fluxa per vmbram
Diſtribuat lege et Phoebem perfundat opacam,
Proh quantus Latiis labor eſt efferre Camoenis!
Cerata rurſum tela calamoque nigranti
Eſſet opus, molliue inſcriptis littore ſulcis.
Tentabo tamen et neruos plectrumque ſonantem
Expediam, duro ſaltem concludere verſu
Si multa, ſi forte ſinat prece victus Apollo.

Apte intexuit huic libro v. 234. narrationem de nece Archimedis, et ſub finem libri narrat (v. 799. ſequ.) dimenſionem baſeos octo circiter milliariorum in via Appia a. 1751. cum Chriſtoph. Maire ſuſceptam. Cui narrationi multa adſpergit de laudibus clarorum virorum, aliisque, quae materiem praebent benignam carminis.

In *lib. V.* quaeſtio examinatur, cur luna deficiens rubeo colore inficiatur. Cuius rei cauſam cum e doctrina Newtoniana

toniana arcessat poeta, magnificis illius laudes versibus celebrāt; quibus recenset fere omnia, ab illo inuenta et tradita. Noui longum esse hunc hymnum, Newtoniano nomini dicatum, sed scio quoque, pulchrum illum esse. Quare totum illum adscribam. quem scribendi laborem cum longe iucundissimum mihi fore praeuideam, opto, vt lectio horum versuum aliis non minorem voluptatem adferat.

Nunc age, cur multo turpatos sanguine vultus
Inficiat, tristem dum Cynthia permeat vmbram;
Quid radios fuco saturet, lucemque coloret
Aëriis deflexam auris, et fila retexat,
Iam canere, atque operi supremam impendere curam
Aggredior. Non hic Pindi pater, atque sororum
Docta cohors, non Pegasus aliger, et mendacis
Numina Parnassi veniant in carmina. Grande
Tu decus Angligenûm, atque humanae gloria gentis,

Tu maius mihi numen eris, *NEWTONE*, repoſtos
Cui primo penetrare aditus, penitusque latentes
Sponte dedit vires Natura, arcanaque pura
Diſcere, et attonitum late vulgare per Orbem.
Tu vacuas nôſti primus qua lege per auras
Attracta arcano ſe foedere ſidera ducant,
Inflectantque viam, mediumque immobile circum
Aeternos renouent gyros, per inane Cometae
Quo fuigant, longo donec poſt tempore triſtem
Reſtituant terris vultum, crinesque cruentos.
Nôſti etiam, Coeli cum parte feruntur eadem
Iupiter, et multo genitor iam tardus ab aeuo,
Cur turbent motusque ſuos, comitumque cateruas:
Non illi irarum memores, ſed amore nouato,

Quo rursum amplexus, rursum oscula
mutua poscunt.
Fata vetant conferre globos, iubet ire
per auras
Impetus, et rursum oppositas discedere
ad oras,
Dum se iterum iuncti quatuor post lustra
reuisant.
Nequidquam incertos dubiis erroribus
orbes
Implicuit, curasque diu delusit inanes
Cynthia: tu retegis, tu certis legibus
arctas.
Quid memorem alternos motus, quibus
alta tumenti
Obiicibus ruptis consurgunt aequora
fluctu,
Tum redeunt retro, rursumque in se ipsa
residunt?
Quid pressam Terrae formam, circum
vndique dorso
Quae tumet in medio, atque polo subsi-
dit vtroque?
Diuersis diuersa locis quid pondera? vel
quid
Vim cuncta Eoas vrgentem sydera in
oras,

Annuaque imbriferi celerantem exordia veris?
Omnibus haec ignota olim mortalibus, acri
Vidisti ingenio primus: nunc te duce molles
Iam pueri in ludis, primoque docentur ab aeuo.

Nec minus illa quidem vel quondam incognita, vel nunc
Per te iam pueris, teneris et nota puellis
Aeternum peperere tibi nomenque, decusque.
Scilicet in prima nascentis origine Mundi
Quae niueis Charites digitis tenuissima lucis
Fila colorato duxerunt stamine, et aureo
Texerunt fuluam nectentes pectine telam,
Inspiciens oculo dispescis primus acuto,
Filaque dissocias, atque acri singula sistis
Obtutu contemplanda, et quem quodque colorem
Exhibeat, quantumque, doces, de tramite recto
Intortum deflectat iter, vel quanta requirat

Inter-

Interualla viae, vt certa vice, ſi noua ſeſe
Corporis obiiciat facies, aut pergere porro,
Aptius, aut retro fiat reſilire repulſum.
Tum ſi plura ſimul coëant, quem mixta colorem
Component, vel quo percellent lumina niſu.

His ita perſpectis, prono iam caetera victor
Perſequeris curſu, et campo exſpatiaris aperto.
Nam quoduis filum quae lamina materiaï
Transmittat, reddatue, magis prout craſſa, minusue;
Deinde doces, pleno radius cum venerit albens
Lumine, quae coeptum producant ſtamina curſum,
Quae redeant, qui proinde color ſeu tranſpiciatur,
Siue oculis ſeſe reflexo lumine ſiſtat.
Hinc formas rerum externas, et particularum
Deprendis variam molem, textumque, et opaco,

Quae sint caeca sinu, quae corpora peruia luci,
Quae certum seruent, et quae variata colorem
Pro vario positu mutent oculique, suique
Cur tenerae viridi frondes velentur amictu,
At nimio exustae flauescant Solis ab igne;
Vnde rosis ardens vultu rubor; vnde, nigrantes,
Purpura, quae violas tristi circumsidet vmbra,
Canaque cur puro niteant candore ligustra;
At contra tenerae cur leuia colla columbae,
Et bullae pueris lusus, tenuesque capilli,
Filaque, quae molli deducit aranea succo,
Et gemmae, et pluuio pendentes aëre guttae
Mille trahant varios aduerso sole colores.

Haec primus comperta vides, simul abdita pandis
Mille alia, atque alia accumulans, totumque per Orbem
Diffundis late. Stupet alta mente volutans

Attoni-

Attonitum mortale genus tam multa repente
Educta, atque adeo breuibus concredita chartis:
Plus vnum vidiſſe hominem, quam viderit omne
Naturam inquirens ſapientûm turba per aeuum.
Ergo nouum Coelo delapſum vt Numen ab alto
Te ſupplex vnum veneratur, Apollinis ara
Poſthabita, tua ſcripta terit noctuque, diuque
Euoluens, te in vota vocat, te oracula poſcit,
Dona tibi, tibi thura parat ſtudioſa iuuentus,
Altaque marmoreis meditatur templa columnnis.
Huc ades o igitur, vatemque, inuenta canentem,
Magne, tua, atque almae tua tenuia ſtamina lucis
Tu praeſens moderare, incertos tu rege greſſus,
Da facilem venam, et cantum, verſusque ſonantes.

Nisi longior videri cuidam posset narratio nostra, (quanquam quomodo tanta suauitas carminis fastidium creet?) descripsissem vltimam huius libri partem, a v. 914. sequ.

Apte enim antiquis fabulis vsus est ad dignum carmine exitum conciliandum.

Ad historiam praeclari carminis haec pertinent. Iam a. 1735. carmen de Solis ac Lunae defectibus noster scripsit et in Collegio Romano recitauit. Trecentis tantum versibus illud absoluebatur. Duodecim annis post rediit Latinarum Musarum amor. Cum enim a. 1750. iussu Pontificis mappae geographicae, quae ditionem Pontificiam complectitur, emendationem, ideoque gradus meridiani dimensionem susciperet, otii fallendi taediique euitandi causa hoc carmen cum auxit, tum poliuit. Sic dicit ipse (p. 60). "Equo insidens hoc episodiolum elucubraui, vt saepe alias, inter equitandum ipsa locorum indoles siue hilaris, seu tristis imagines sibi ipse conformes exhibuit, et carmina, quae saepe in ipso conscripsi itinere, ipsum locorum ingenium satis redolent." Adde p. 159. sequ.

Versi-

Verſibus ſubiecit Auctor ſoluta oratione adnotationes, quibus eis prodeſſe ſtuduit, qui minus haec ſtudia callerent. Iis lectis obſeruauimus, in vno eodemque homine miram vinctae ſolutaeque orationis diſſimilitudinem. Nam qui politiſſimis verſibus conficiendis excellit, in proſa orationem vix mediocrem laudem meretur. Durities adeſt aſperitasque ſtili, immo puritas ſaepenumero deſideratur. Contigit igitur Boſcouico idem, quod Statio, Martiali, Boetio, Fracaſtorio contigiſſe, viri docti (*) animaduerterunt, qui cum vtroque genere vſi ſint orationis, multo melius cecinerunt, quam locuti ſint.

(*) v. Franc. Vauaſſorem *de ludicra dictione* cap. 4. p. 216.

III.

Ionian Antiquities publiſhed with Permiſſion of the Society of Dilettanti by R. *Chandler*, M. A. F. S. A. N. *Revett*, Architect, W. *Pars*, Painter.

Londini, 1769. pagg. 53. tabul. aen. 40. fol. max.

Cui litterae tot alia cum ornamenta, tum incrementa debent, generoſo et in honore artium atque ſplendore augendo et promouendo omnibus modis defixo animo Anglorum hoc quoque opus, dignum reliqua auctorum gloria, debetur. In beata illa inſula iam anno XXXIV. huius ſeculi nonnulli, qui antea Italiam perluſtrauerant, ſocietatem quandam inierunt. Merito ſociis impoſitum fuit nomen *Amatorum*, qui nihil ſpectarent aliud, quam vt collectum in Italia antiquarum artium amorem alerent, cognitionem rerum antiquarum augerent. Neque illa ſocietas ideo coaluit, vt aut ambitioſe vanam eruditionis ſpeciem prae ſe ferrent ſodales, aut, vt fit, otioſe garrirent, nec ad commoda publica quidquam conferrent. Immo

mo anno LXIV. quosdam suis sumtibus in orientis regiones mittendos censuit. Antiqua ab his monimenta considerari voluit et examinari. Mense igitur Iunio *Chandlerus*, cuius nomen *Marmorum Oxoniensium* editione innotuit, *Revettus*, architecturae gnarus, olim iam Stuartum Athenas comitatus, et *Parsius*, graphidos scientia instructus, navem conscenderunt. In illo itinere promontorium Sigeum, campos, vbi Troia fuit, insulas, Tenedon et Chion, lustrauere. Mense Septembri Smyrnam appulere. Ibi morati aliquamdiu, interdum in vicinas excurrebant regiones. Non praeterierunt, post decessum, Aeginam et Sunium. Athenas peruenerunt d. XXXI Augusti, a. LXV. ibique fere totum annum subsliterunt. Et quis non subsistat diutius in eo loco, vbi vix pedem ponas, quin aut magni alicuius ingenii, aut rei clarae memoriae subeat? Praeterea adiere Salamina, Megaram, Eleusin, aliaque loca. Anno sequenti, d. XI Iunii Athenas reliquerunt. Tum ab iis salutabantur Troezene, Epidaurus, Argos, Corinthus, Delphi, Patrae. Quas regiones eo curiosius considerauerunt nostri, quo pauciores eas

antea

antea adierunt. Menſe Auguſto repetere patriam viſum eſt. E Zacyntho, inſula, ſoluerunt.

In hoc itinere quam multa a doctis oculis obſeruari potuerunt, quae illuſtrandis antiquis rebus inſeruirent! Atque vtinam ſpes, quae ex aliquot locis affulgere videtur, (p. 13. 15) vbi pleniorem narrationem de itinere hoc non obſcure pollicentur, impleatur! Non parum hinc cum vtilitatis tum voluptatis percepturos eſſe credimus antiquitatis ſtudioſos. Hoc vero opus Societas ſuo ſumtu edidit, ſpecimenque obſeruationum in itinere factarum viris doctis tradidit.

Trium templorum reliquiae in hoc opere exhibentur. Fuerunt ea templa non ſolum clara ob artificium et pulchritudinem, ſed celebrantur quoque a Vitruuio et aliis. De iis vero vt eo melius iudicari poſſit, accuratiſſime primum de vrbibus, quae his templis ornabantur, agitur: tum de templis ipſis: poſt, qualis hodie eſt, templorum illorum, facies exponitur, docteque explicantur, quae in tabulis depicta apparent, partes templorum reliquae, columnae, capitula, certa cuiusque menſura addita, adſperſisque non paucis, quae ad archi-

architecturam spectant, quaeque huius artis studiosis iucundissima erunt. Nos breuiter, quae illa templa sint, indicabimus. Cuiusque templi reliquiae singulari capite describuntur.

I. *Templum, Baccho*, in vrbe Teio, Anacreontis patria, consecratum. Notum est enim, quanto studio Teii coluerint Bacchum, cui totam vrbem sacram esse iusserant. Templum hoc Bacchi octastylon monopteron fuit. Hodie fere nil, praeter rudem indigestamque molem, restat, immo, quia Turcae inde saxa tumulis tegendis petunt, in dies minuitur saxorum cumulus. De hoc templo commentarium scripsisse *Hermogenem* Vitruuius narrat. (*praef. ad libr. VII.*) Hunc Hermogenem etiam alio loco (L. III. *cap.* 2) laudat, eumque primum octastylum pseudodipterive rationem inuenisse scribit. Procul dubio hic etiam Hermogenes is fuit, quem Magnesiae Dianae aedem construxisse legimus. (Vitruu. III, *cap.* 1.) De hoc vero Bacchi templo ab eodem Vitruuio satis memorabilis res memoriae prodita est. (L. IV. cap. 3.) Ex eorum architectorum numero fuit Hermogenes, qui dorico genere aedes sacras fieri debere nega- p. 1-13.

rexit. Itaque, cum paratam habuisset marmoris copiam in Doricae aedis perfectionem, commutauit et ex eadem copia eam Ionicam Libero patri fecit.

p. 13-26. II. *Mineruae Poliados* numini quod olim consecratum erat, templi reliquias ostendit Priene. Sed etiam illud, hominum temporisque iniuria et saeuitia misere euersum, triste oculis eruditis spectaculum praebet, licet excellentissima columnarum fragmenta adsint. Quae res impediit nostros, quo minus accurate satis omnia examinare possent. Interim videtur iis templum hexastylon, peripteron, et peribola cinctum fuisse. Non praetereundus est titulus, qui ibi legitur: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΑΝΕΘΗΚΕ ΤΟΝ ΝΑΟΝ ΑΘΗΝΑΙ ΤΗΙ ΠΟΛΙΑΔΙ. Qui titulus docet, Alexandrum, qui dedicandorum templorum honore valde delectabatur, id quod satis claro exemplo patet (*), sumtibus suis hanc Mineruae aedem siue exstruendam, siue reficiendam curasse. Nomen eius, qui templum aedificauit, varie legitur apud Vitruuium. Modo enim *Pytheas*, modo *Pythius*, modo *Phileus* audit. [v. Vitruu. L. I.

cap.

(*) Strabo. L. XIV. p. 949.

cap. 1. vbi Pythius dicitur *Prienae aedem Mineruae nobiliter architectum* fuisse, et *commentarios* reliquisse. In Praef. L. VII. *de fano Mineruae, quod est Prienae Ionicum*, Phileum scripsisse dicit.].

III. *Templum Apollinis Didymmaei* p. 27-53.
Milesium, decastylon dipteron. Tres columnae hodie quoque visuntur. Ingentis magnitudinis omnia speciem habent, ambitus latissimus cognoscitur hodie quoque, spirantque ruinae pristinam cum dignitatem, tum pulchritudinem. Templum Apollinis antiquius ibi fuit. Abfuit a littore circiter XX stadia (*). Id incensum fuit a Xerxe. Postea aliud templum exstructum fuit, quod Strabo magnifice describit (**): *ὕστερον δὲ οἱ Μιλήσιοι μέγιστον νεὼν τῶν πάντων κατεσκευάσασαν, διέμεινε δὲ χωρὶς ὀροφῆς διὰ τὸ μέγεθος. κώμης γοῦν κατοικίαν ὁ τοῦ σηκοῦ περίβολος δέδεκται, καὶ ἄλσος ἐντός τε καὶ ἐκτὸς πολυτελές. ἄλλοι δὲ σηκοὶ τὸ μαντεῖον καὶ τὰ ἱερὰ συνέχουσιν. Postea Milesii templum omnium maximum construxerunt, quod ob magnitudinem sine culmine mansit: nam ambitus delubri*

 pagi

(*) Plin. H[illegible]at. L. V. cap. 29.
(**) Lib. X[illegible] p. 941. ed. Almel.

pagi amplitudinem aequat; estque intus et extra lucus pretiosus: alia delubra oraculum et sacra continent. Canachum etiam Apollinem nudum, qui Philesius cognominatur, finxisse, Aeginetica aeris temperatura, in hoc templo dedicatum, Plinius prodidit (*). Qui vero fuerunt auctores tam mirandi operis? *Paeonius Ephesius*, is, qui Dianae templum, ab Herostrato incensum, perfecerat, et *Daphnis Milesius*. Sic enim Vitruvius: (L. VII. praef.) *Mileti Apollini item Ionicis Symmetriis idem Paeonius Daphnisque Milesius instituerunt.*

(*) *Hist. Nat.* L. XXXIV. cap. 8.

IV.

IV.

Glossarium Suio-Gothicum, in quo tum hodierno vsu frequentata vocabula, quam in legum patriarum tabulis aliisque aeui medii scriptis obuia explicantur, et ex dialectis cognatis, Moesogothica, Anglo Saxonica, Alemannica, Islandica, ceterisque Gothicae et Celticae originis illustrantur. Auctore *Iohanne Ihre*.

Vpsaliae, typis Edmannianis, 1769. Tom. I. Alph. 7. Tom. II. Alph. 6. plagg. 5. fol.

Gratulamur eruditissimo Viro opus diuturni et immensi laboris, feliciter nunc perfectum, illudque nomini *Ihriano* aeternae gloriae fore pollicemur. Immo honorificum est tale opus Sueciae vniuersae, Ordinumque Regni concilio, quorum voluntate illud ab *Ihrio* susceptum est, quorumque exspectationi atque votis respondisse credimus virum, pluribus libris clarum et illustrem. Dabitur huic volumini locus in Museis luculentus inter Cangiana Wachterianaque opera, quorum praestantiam egregie aemulatur.

Quoniam ex eiusmodi libris vix specimina quaedam dari possunt exemplaque afferri obseruationum, age, quam rationem Vir Cl. secutus sit, explicemus. Verbose enim in *Prooemio* exposuit sententiam suam de cognatione, qua variorum populorum linguae continentur. Hinc praecipua capita excerpemus.

Omnes, ait, linguas ab vna eademque matre prognatas fuisse, quemadmodum totum genus humanum ab vno auctore prodierit: hinc vt aliquo cognationis vinculo, sed ob monimentorum penuriam inexplicabili, omnes homines inter se coniuncti sint, sic ad vnam et primigeniam omnes per suam naturam reduci linguas, etsi per nostram scientiam et post tot secula non liceat hodie earundem cognationem et sensim factam immutationem ante oculos ponere. Etymologum, natales linguae, in qua exploranda versatur, vnice sequi, nec alias in subsidium vocare debere, quam a quibus eam originem duxisse, historicae declarent et residua cognati sermonis indicia luculenter demonstrent. Hinc eos male operam tempusque consumsisse, qui cum Europaeis linguis modo Sinicam, modo ali-

quam

quam Americanarum compararent. nam exiguam similitudinis speciem, aliquam eas affinitatem habere, non ostendere. Licet omnes omnino linguae ab vno fonte oriantur, longius tamen easdem ab illo fonte deductas, magis magisque a prima origine recedere: tandem spatium, quod inter illas sit, adeo immensum fieri, vt linguae, quae primum in diuersas dialectos abierint, tum varias dissimillimasque linguas procreent. Primam itaque Etymologi curam esse debere, cui quibusue lingua ea, cui suam operam addixit, origenem debeat, quoque cognationis gradu illam tangat. Sic eum euitaturum esse errores varios: neque obuia quaeque temere abrepturum, neque, quod ante pedes sit, longe quaesiturum. Praeterea nec ipse Vir Cl. diffitetur, quam difficilis sit eiusmodi labor, quamque multorum in reprehensiones incurrere soleat. "Me quidem, inquit, antequam stilum chartae apponerem, non praeterit, vere dixisse olim virum eruditum, neminem facilius aliorum ludibriis seueriorique censurae se exponere, quam qui vocum etymologias venatur, quum, qui causae iudices futuri erant, hoc

„est, docti indoctique, pro ratione et „iudicio, imaginationis, non semper „exercitatissimae, impetum saepe se„quantur, et id obelo notent, quod „primo statim intuitu assensum non „impetrat. Sunt quidem in campo Ety„mologico multa, quae pro indubiis „haberi possint, sed longe tamen plu„ra, quod ingenue fateor, quae vltra „probabilitatis maiorem minoremue „gradum euehi nequeant. Horum ve„ro eadem ac imaginum caussa est, quas „dum faciei repraesentatae alter simil„limas esse affirmat, alter, qui negat, „argumento alio opus non habet, quam „quod sui intercedant oculi."

His igitur quasi fundamentis, quibus aedificium superstruxit, consideratis, totam Viri Cl. rationem indicemus. Hanc igitur sibi legem fixit, vt in indagando verborum ortu omnium primo veterem linguam patriam in subsidium vocaret: vbi illius promtuaria deficerent, Scriptores Islandicos consuluit, quorum sermo ante nouem secula a Suethico non diuersus fuit, quique a peregrinarum gentium corruptione intactior deinde permansit. Porro processit ad linguam Alamannicam et Anglo Saxoni-

cam,

eam; quas non infitiandas Gothicae suae sorores appellat, et demum subsistit in Moesogothica, ceterarum quidem matre; sed cuius reliquias adeo exiguas esse dolet. Quia etiam Gothi Celtaeque pariter Scythicae originis sunt, Celtica vero lingua in Cambro-Britannica et Aremorica superstes esse existimatur, illam tanto minus neglexit, quo luculentiorem eius cum vetustiore Gothismo consensum sibi deprehendere visus est. Deinde cum Scythae Graeciae accolae essent, et, qui eorum Pelasgi vocabantur, ante Hellenum aduentum Graeciam tenuerint, hinc causas repetit, cur tanta inter vtriusque gentis linguas cognatio reperiatur. Idem de Latina lingua, vtriusque propagine, iudicat. Nec orientis regiones praeteriit. Quia enim inde procul dubio primi incolae in Europaeas plagas peruenerunt, quid primigenii huius sermonis residuum esset, examinauit. Mutua vero populorum commercia et sedium vicinia effecit, vt in cognationem quoque Persicae linguae cum Suethica inquireret.

Habetis rationem, quam Auctor secutus est in hoc opere. His vero, quae diximus, duo addemus. Cum linguae

 sensim

ſenſim et per partes immutentur, praecipue attendit, quae in lingua Suecica variationis leges obſeruentur, id eſt, quae litterae inter ſe alternent, ideoque litterarum permutationes recenſuit (p. 41-48). Habent enim omnes linguae litterarum permutationes, ſuo ingenio accommodatas, quas qui non obſeruat, aliena ſaepe cenſet, quae proximae cognationis ſunt. Deinde dolet ipſe, ſe non peritum eſſe Sclauonicarum linguarum. Gentes Sclauonicae a Scythis ortae ſunt, Getisque permixtae vixerunt. immo illas hodie regiones tenent, vnde primi gentium borealium ſtatores prodierunt. Quare Sclauonicae linguae multa continent, quae Scytho-Gothicis linguis illuſtrandis inſeruiant.

Non plane viri doctiſſimi ſententia intelligetur, niſi, quae de quaque lingua dixerit, cognouerimus. Nam in hoc Prooemio ſubtilius in linguas inquiſiuit, quas cum Suio-Gothica neceſſitudine propiore coniunctas eſſe putauit. Singulis capitibus de ſingulis agit.

p. 3. *Lingua Ebraea.* Ebraeam dicit linguam generi humano coaeuam eſſe, adeoque in ea plurimarum, hodie vigentium,

gentium, linguarum flamina inueniri. Etiam alia fauere cupienti origines linguarum ex oriente repetere. Ipse vero de se fatetur. "Aliter Ebraeas origines sequi ausus non sum, quam quatenus linguae antiquiores et Asiaticis propiores demonstrarunt, per quos alueos a primo hoc fonte ad nos singula dimanauerint. Nam vti vltro fassi sumus, cum genere hominum eorumdem etiam loquelam per Europaeum orbem diuisam fuisse, ita perinde certum est, tot seculorum decursum non posse non effecisse, vt adeo immutata sit pars vocabulorum multo maxima, vt Delio natatore opus habeat, qui variationis huius seriem indagare hodie voluerit. — Vbi vocem aliquam in nostrate lingua deprehendit, quam cognatae reliquae possideant, quaeque olim in Latio et Hellade in vsu fuerit; iudicabis facile, ex communi fonte, qui non potest non Scythicus esse, eandem profluxisse, et, si porro eadem in lingua Ebraea agnoscatur, euidens esse arbitraberis, primam inde scaturiginem petendam."

Lingua Scythica. Sermonem Scytharum fuisse varium olim et diuersum: p. 4

nam

nam Scriptores Graecos Latinosque Scytharum nomine plurimos longeque dissitos populos comprehendisse: interim tamen Gothos Getasque esse, quos Graeci, pro sua pronuntiandi licentia, Scythas appellauerint. nam Scythici nominis primariam sedem, Tauricum Chersonesum, hodieque Gothicum sermonem seruare, illi, quo vsus sit Vlphilas, adeo similem, vt non satis mirari possis, non maiorem immutationem per secula XIII. linguam expertam esse. Recensentur ab Auctore ii populi, quos Gothico sermone vsos fuisse arbitratur: Daci, Thraces, Moesi, Gepidae, Alani, Amazones, Longobardi, Cimmerii, Ostrogothi, Wisigothi, Massagetae, Burgundiones, Hyperborei, Basternae.

p. 9. *Lingua Celtica.* Loquitur de ea lingua, qua hodie Armoricani et Cymraeci, siue Wallicae regionis in Britannia insulari incolae, vtuntur, quamque scriptores Romani Gallicam, Graeci Celticam appellauerunt. Linguam Celticam a Scythis suos natales habuisse, ostendere nititur primum veterum Scriptorum testimonio, Strabonis, qui (L. VII. p. 443.) Germanos sermone parum diuer-

diuersos esse a Celtis ait, et Liuii, qui gentes Gallicas semigermanicas appellat (L. XXI. cap. 38.) deinde similitudine, quam inter Celticam et Scythicae originis dialectos sibi obseruasse visus est, multisque exemplis declarat.

Lingua Persica. Magnam fuisse inter Persicam Germanicamque linguam similitudinem obseruatam a viris doctis. Quae vnde orta sit, ardua quaestio est. Ipse scribit. "Quod casus et fortuita συγκυρίας hic locum non habeant, copia vocabulorum, quae vtrobique eadem sunt, fidem cuiuis facile fecerit; belli vero pacisque commercia aliquid momenti adferre potuisse, negare omnino nolim, et minus insolens reputabunt, qui modo cogitauerint, linguam Geticam non in arte Germanica aut Septentrionali tantum vsurpari, sed ad Pontum Euxinum etiamnum vigere, et latius olim ad mare Caspium et circum iacentia loca se extendisse." p. 13.

Lingua Graeca. Inter linguam Graecam Gothicamque magnam intercedere affinitatem: hanc multo luculentius apparere in vetere lingua Moesogothica, quae non verba tantum, sed et idiotismos cum Hellade fere communes habeat. p. 15.

beat. Hoc permultis exemplis Auctor illustrat, caussamque similitudinis reddere conatur. Pelasgos dicit Atticosque Thraciae, seu, quod idem est, Geticae originis gentem fuisse; hinc linguam Pelasgorum aliam non fuisse, quam Geticam, litterasque illas, quas ante Cadmi aduentum habuerit Hellas, fuisse Geticas. Ad linguae Scythicae Graecaeque similitudinem nonnihil etiam contulisse plurimas Graecorum colonias per Scythiam, et praesertim Ponticas regiones, sparsas. Graecam igitur et Geticam linguam sorores esse, genere Scythico natas.

p. 23. *Lingua Latina.* Negari non posse, plurima verba cum Latio Gothos communia habere: voces vtriusque linguae, quo magis antiquiorem formam seruauerint, eo magis conspirare: vocum flexiones in vtraque lingua prope esse easdem: immo amissas Latii radices Gothicam linguam offerre posse. Dum igitur linguam Latinam quoque Scythicae propaginem existimat, opinionis caussam reddit hanc: "Primam et verissimam huius harmoniae caussam reputandam censeo, quod eorum, qui in vacua Italia sedes quaesitum venere, Pelasgi

lasgi Scythicae originis omnino, fuerint. Hi vero diuersis temporibus et quidem ter in Italiam colonias misisse traduntur: — mirum igitur non est, si suae linguae magnam partem hic, vt in Hellade, disseminauerint."

Lingua Moesogothica. E versione bibliorum, quam sec. IV. Vlphilas, Gothorum in Moesia Episcopus, concinnauerit, nos discere, quae linguae Gothicae ante XIV. secula facies fuerit. linguam ibi obseruari adeo cultam et concinnam, vt elegantia nulli, ne Graecae quidem et Romanae, cedat. Linguam, quam codex argenteus, orbe toto clarissimus, praeferat, Scythicae esse originis, multaque habere, quae illius sorores pariter retinuerint: hinc Graecam et Latinam, inde Sclauonicas. p. 29.

Lingua Anglo-Saxonica. Praefert haec dialectus illud sermonis genus, quod in Angliam sec. VI. aduexere inferioris Saxoniae populi, in auxilium a Britannis contra Pictos vocati, et postea vltro eo commeantes. "Dubio, inquit, caret, linguam Gothicam maiori Germaniae parti pro vernacula olim fuisse: quas vero mutationes ab Vlphilae aeuo ad seculum vsque VI. subierit, p. 30.

hinc vnice aliquo modo edoceri poterimus. Est quidem illa linguarum omnium indoles, vt faciem quotidie mutent, sed mirari nihilominus conuenit, id discriminis, quod inter dialectum Moesogothicam et Anglo-Saxonicam intercedit, maius non esse, quum tamen ab Vlphila ad Caedmonem, qui scriptorum Saxonicorum omnium est antiquissimus, quatuor admodum secula intercesserint." Mox ostendit similem vtriusque linguae rationem, etiam in Syntaxi, atque in Suiogothicae linguae caussis indagandis Anglo-Saxonicae dialecti maxime rationem habendam esse monet. Esse enim inter sorores natu maximam, multaque seruauisse, quae vnice Suethico sermoni lucem affundant. Eos, qui in Septentrione Christianam doctrinam primum tradiderint, fuisse Anglos; inde varia, quibus res sacrae exprimantur, verba sermonem accepisse. Quia etiam summo in iudicio senatores fere fuerint Episcopi, mirum non esse, si inter fori Anglicani et Suethici formulas legesque singularis obseruetur similitudo.

p. 31. *Lingua Alemannica, Germanica, et Belgica.* In antiquissimis linguae Alemannicae

mannicae monimentis adeo fluxa et instabilia esse omnia, vt non solum orthographia verborum, sed etiam eorum terminationes et inflexiones vagae, immo prope arbitrariae sint. Quaenam huius inconstantiae, quam non solum apud diuersae aetatis diuersosque scriptores, sed apud vnum eundemque scriptorem quoque obseruamus, causa fuerit; mutataene saepius sedes, an cum pluribus gentibus cognatis mixta sermonis commercia, non definit Auctor. Interim putat hoc argumento clarissime refutari eorum opinionem, qui codicem argenteum auctori Francico tribuunt, cum hic omnia castigatissima sint. Sed vel sic linguam Alemannicam habere, quae Suethicam illustrent, praesertim cum multi sacerdotes, ex Alemannia orti, suis verbis Suethicum sermonem auxerint. Cum vero haec lingua matri Alemannicae multum debeat, fieri non posse, quin illam inter et filiam, Germanicam, magna necessitudo intercedat. Maiorem illam fuisse olim, immo tantam, vt sine interprete colloquia miscere hi populi videantur potuisse. Subiisse postea singulas suas vices, atque diuersam faciem sensim

accepisse: procul vero dubio eas longius discessuras fuisse, nisi frequentiora inter Suecos et Germanos instituta commercia haec impediuissent. Sueciam, sec. XIV. Germanicae nationis reges veneratam, linguam Germanicam addidicisse; institutaque cum ciuitatibus Hanseaticis commercia linguae imperium auxisse.

p. 34. *Lingua Islandica.* Quum sec. IX. Islandia primum obseruata fuerit, illiusque coloni maximam partem Norwegi essent, quorum dialectus hodieque parum a Suethica distat, antiquioribus temporibus discrimen hoc fuisse minus et perexiguum, verisimile est. Raro etiam hanc insulam adiisse olim peregrinos: hinc linguam Islandorum docere, quae antiquiore aeuo facies fuerit sermonis veteris Scandinauiae. Cum antiquiore Vlphilana hanc dialectum collatam non modo quam plurima eorum, quae codex argenteus habet, vocabula offerre, sed etiam eundem prope sermonis genium eosdemque idiotismos ostendere.

p. 35. *Lingua Gallica, Hispanica et Italica.* Gallos Celticam propaginem esse, insignemque inter sermonem Scytho-Celtarum et Scytho-Gothorum animaduerti simili-

similitudinem iam supra Auctor docuit. "Mirum foret, nunc pergit, nisi eorum posteri varia pristinae loquelae servassent. Praeterea ex iudicio I. Caesaris constat, Belgas tertiam Galliarum partem tenuisse: hos vero Germanice locutos fuisse, nemo ambigit. Si porro meminerimus, non solum Teutones, Cimbros Francosque suae ditionis Gallias fecisse, sed etiam Ostrogothos, Vandalos atque dein Wisigothos, Suecos et Burgundiones ibi consedisse, istosque, Visigothos loquor, in Gallia Narbonensi ita sedes fixisse, vt regionem hanc Gothiam appellauerint, quod nomen post occasum gentis Gothicae diu postea retinuit, inueniemus facile, fieri non potuisse, quin sui idiomatis plurima vestigia ibi impresserint." Nec silentio praetereundos esse monet recentiores Normannorum in Neustriam impetus, Normanniam inde appellatam. "Haec autem, ait, quum non subito tumultu peracta fuerint, sed re vera magna Galliarum pars Gothice Germaniceque loquentes per integra secula audierit, atque etiam a Gothice loquentibus iura petierit; fieri non potuit, quin eius linguae multa addidice-

rint, et, vt fieri folet, ſuo idiomati admiſcuerint." Praeter alia memorabilia, quae Auctor hoc loco dixit, animum aduerterunt inprimis illa verba: "Qua lingua vſi fuerint Galliarum dominatores Wiſigothi, incertum eſſe nequit, poſtquam ad noſtras manus benigniora fata transmiſere Euangelia, Vlphilae cura in eandem transfuſa. Hanc vero vbi conſulo, inuenio praeter alia, qui factum fuerit, vt Galli orthographiam, a reliquae Europae vſu adeo abhorrentem, aſſumſerint. Si enim quaeras, cur apud illos *ai* ſit quod *e* vel *ae* reliquorum, cur *au* vt ȣ, *au* vt ὀμικρὸν efferant, ratio alia, meo quidem iudicio, reddi nequit, quam quod hanc ſcribendi methodum a Gothis acceperint, quos eadem plane vſos fuiſſe, euidens eſt, vbi examinamus, qua ratione nomina propria in codice argenteo exarata inueniantur." Plura in hanc ſententiam ab Auctore adferuntur, quae cognoſſe iucundum eſt.

p. 37. Hiſpaniam, quae Celtas, Poenos, Romanos, Gothos Maurosque dominos habuerit, pro primitiua lingua, (haud dubie Cantabrica, apud Vaſcones hodieque ſuperſtite) centonem accepiſſe,

e

e variis linguis consarcinatum: interim Hispanicum sermonem ad Romanum proxime accedere, multis tamen Gothicis verbis admissis. Multo vero plura, quam vulgo putant, Gothica inventurum esse, qui vtriusque linguae, Gothicae et Hispanicae, antiquioris gnarus sit.

Italicam linguam nihil esse, nisi linguam Romanam, Gothice corruptam, hoc illum praesertim deprehensurum esse, qui Gothice sciens Octauii Ferrarii Origines Italicas euoluat, cui summas tenebras obiecerit Septentrionis linguarum ignorantia. p. 38.

Lingua Fennica et Lapponica. Licet hae a Gothica diuersum loquendi genium clare prae se ferant, longe tamen plurima easdem habere, quae mutuam necessitudinem aperte prodant. Nec fieri aliter potuisse, si has gentes Suiogothicae Aborigines fuisse, illasque regiones ante Odini aduentum tenuisse certum sit, quod probabile censet Auctor. Praeterea inter Fennicam et Hungaricam linguam summam esse affinitatem, cuius causam explicare ingeniose Auctor studet. p. 39.

Haec igitur, quae commemorauimus, qui teneat, ille, quomodo versatus sit in hoc negotio Vir Cl. intelliget, quid secutus sit, quid spectauerit. Verum est: possunt contra ea, quae Auctor docuit, quaedam dici atque disputari. Nobis inprimis duo in mentem venerunt. Primum non intelligimus, cur Ebraeam linguam, (nam de Ebraea lingua, credo, loquitur, qualis in sacris libris comparet) omnium primam putet, quibusque argumentis adductus ita sentiat. Deinde Scythico nomini longe maiorem ambitum tribuisse videtur, quam, si subtilius rem examines, Geographia patiatur. Interim, si vel in his recte reprehendatur Auctor, nihil tamen detrahetur hac censura operis praestantiae et vtilitati. Non solum illud ad cognationem linguarum intelligendam facit, sed quam plurima etiam complectitur, quae leges antiquas, veteres ritus, historiamque priscam egregie illustrant.

V.

Hiſtoria et Commentationes Academiae Electoralis Scientiarum et Elegantiorum Litterarum Theodoro-Palatinae.

Manhemii, typis Academicis Vol. I. 1766. Vol. II. 1770. cum tab. aen. multis. 4.

Propitia litteris et amica numina ad Palatinos rediere, a *Caroli Theodori* ſapientia et munificentia inuitata liberaliſſimoque hoſpitio excepta. Pacata Germania, a. MDCCLXIII. in palatio templum Muſis conſecrari et XII. kal. Nov. rite dedicari ille iuſſit. Quae ad hiſtoriam egregii conſilii inſtitutique pertinent, ea in primo Actorum volumine copioſe commemorantur. *Hiſtoria* enim *Academiae* complectitur Principis Electoris iitteras, leges nouae Academiae et ſodalium nomina. Hinc patet, hiſtoriae ſtudium Academiae inprimis curae eſſe, cum illius, quae naturam rerum curioſe examinat, tum quae res geſtas litteris tradit, inprimis vero Palatinatus hiſtoriam. Praeter oratiunculas nonnullas, a Cl. *Schoepfli-* p. 1-150.

 no,

ne, Academiae Praeside; habitas; inest narratio de itinere a binis ſodalibus per Wormatiam, Alceiam, Moguntiam facto, alioque per praefecturam Lautrecenſem inſtituto, antiquorum monimentorum quaerendorum cauſa. Exhibentur nonnulli antiqui tituli, ab iis obſeruati in lapidibus et deſcripti: etiam litterae quaedam publicae, antiquiore aeuo ſcriptae. Sequitur *Io. Dan. Reitzenſtenii* libellus, de origine comitis Palatini ſub Romanis Imp. eiusque indole ſub Merouingis et Carolingis, Franciae regibus, vsque ad diuiſionem regni in orientale et occidentale, praemio ab Academia ornatus. Cui additus eſt alius libellus, Phyſici argumenti.

Recenſeamus nunc libellos hiſtorici et antiquarii argumenti, quos *primum* Volumen complectitur. Quam vero in euulgandis ſodalium libellis Academia rationem ſequatur, ipſius verbis commemorare iuuat: "In edendis ſane commentationibus ſuis Academia ſibi poſuit legem, vt argumentum ſit aut nouum plane, aut noua ſaltem doctrina perfectius illuſtratum, vt ſit dignum luce et vſum quendam habeat inſignem, vt, quae afferuntur, ſint vera, aut certe vero-

verosimillima." Hac si ex lege semper agat Academia, id quod speramus, non poterit non res litteraria vehementer ornari atque augeri sodalium studio et eruditione.

I. *Sylloge Obseruationum Criticarum et Etymologicarum;* auctor *Cornelius Valerius a Vonck*, nuper heu! noster. Obseruationes ipsae spectant ad Plinii Panegyricum, Columellam, Q. Curtium, Vegetium, Corn. Celsum, Senecam Philosophum, Vlpianum, Acta S. Cassiani, (quae exstant apud Iustum Fontaninum in Appendice ad Antiquitates Hortae) ad Persium, Valerii Catonis Diras. Tum quaestionem examinat, cur Mercurii, et Saturni dies apud Germanos superiores diuerso a Germanis inferioribus nomine appellentur? p. 151-182.

II. *De ara votiua Ladenburgensi, Imperatoribus et Caesaribus Romanis a Moguntiacensi ciuitate seculo III. dicata:* auctor *Io. Dan. Schoepflinus.* Ara est marmorea, grandis: et aliqua parte laesa. Freherus (*) atque Gruterus (**) mutilum exemplum secuti sunt, non p. 183-192.

(*) *Origin. Palatin.* p. 31. in app. p. 23.

(**) *Thes. Inscr.* T. I. p. 24. n. 8.

ipsa ara considerata. Titulus ab auctore suppletur atque exhibetur sic

IN H. D. D. IOVI ET
IVNONI REGINAE
MINERVAE NVMINI (vel DIIS DEA)
BVSQVE IMPERII PRO
SALVTE ET INCOLVMITATE
DD NOSTRORVM DIOCLETIANI ET
MAXIMIANI FELICISSIMORVM
AVGVSTORVM CONSTANTII
ET MAXIMIANI CAESARVM
CIVITAS MOGVNTIACENSIVM
AVRELIO ET ANNIBALIANO COSS.

p. 193-214. III. *Differtatio ad lapides quosdam Romanos inuentos ad Neccarum*, auctor *Andreas Lameius*. Quorundam lapidum tituli iam editi exstant: sed accuratius ab Auctore exhibentur. Anaglyphum III. in tab. II. ad Mithriaca monimenta pertinet. Eiusmodi monimenta si plura collecta atque inter se comparata fuerint, tum demum superstitionem Mithriacam plenius intelligere licebit.

p. 215-242. IV. Eiusdem *descriptio pagi Lobodunensis, qualis sub Carolingis maxime regibus fuit.*

p. 243-299. V. Eiusdem *descriptio pagi Wormatiensis, qualis sub Carolingis maxime regibus fuit.*

VI.

VI. *Dissertatio de Caesareo Ingelheimensi palatio:* auctor *Io. Dan. Schoepflinus.* Notum est, Carolum M. Ingelheimense palatium prae omnibus Francici imperii palatiis amasse, ornasse, atque iuuenem inhabitasse. Inde operae pretium fuit, illius reliquias, quae scite in tabulis aeneis radio inscriptae sunt, contemplari. Inuenisse etiam sibi visus est ibi Auctor cenotaphium Hildegardis, vxoris Caroli M. Praeterea quae ad fata huius palatii pertinent, diligenter ab Auctore explicantur. p. 300-321.

VII. *Christoph. Iac. Kremeri* diss. *de extinctis antiquioris et mediae aetatis Loewensteinii comitibus.* p. 323-372.

VIII. Eiusdem *incunabula Vniuersitatis Heidelbergensis.* p. 373.

Primum in *secundo* volumine locum habet *Historia* Academiae, cui etiam subiuncta est narratio de itinere per praefecturas Neostadiensem, Germersheimensem, Brettanam, Boxbergensem, et Mosbacensem, eodem, quo superiore anno, consilio instituto. Commemorantur aliquot monimenta antiqua. In ara, quae Mercurium ostentat, ad pedes dei gallus gallinaceus, testudini

testudini insistit, et cum illa ludere videtur. Alia ara Mercurium exhibet, qualem nescio an alibi conspicies, symbolis omnibus ornatum. Manu dextra
p. 11. crumenam tenet, sinistra puerulum cum caduceo. Ad pedes aries atque testudo, ad latus dextrum gallus gallinaceus. Recte Cl. Lameius in memoriam revocat Statuam Mercurii, apud Lacedaemonios, Bacchum puerum portantis (*). Non pauca occurrunt, quae ad historiam Germaniae antiquiorem pertinent.

I. *De sepulchro Romano, prope Schrisheimium reperto*, auctor *Io. Dan. Schoepflinus.*
p. 107. Constructum fuisse putat Sec. II. Monimentum est illiteratum. Tota sepulchri facies, cum vasis, in columbario positis, exhibetur in tabulis tribus.

p. 113. II. *De inscriptione Romana, Moguntiae reperta, quae deleto Commodi Imp. nomine insignis*; auctor *Andreas Lameius.* Lapis iam a Donio, Muratorio, aliis datus fuit: memorabilis ideo, quia Dionem et Lampridium illustrat. Hi enim narrant, Commodi, occisi, nomen iussu senatus fuisse e monimentis erasum. Hoc lapide admonitus Auctor poenam

(*) Pausan. L. III. cap. 18.

poenam eraſi publico decreto nominis multis exemplis et locis illuſtrat, Imperatorum praecipue, quibus hoc accidit, exemplis repetitis.

III. *de Legione I. adiutrice: ad lapidem Moguntinum:* auctor *Andr. Lameius.* Titulus hic eſt: p. 142.

M. AEMILIVS
M. F. Ͻ A. (*Claudia*) FVS
CVS SAVA
MIL. (*es*) LEG. I.
ADI (*utricis*) AN. XXV
STIP. (*endiorum*) VIII. H. (*ic*) S. (*itus*) E (*ſt*)
FRATER EI (*us*) P. (*oni*) I (*uſſit*)

IV. Eiusdem *deſcriptio pagi Rhenenſis, qualis ſub Carolingis maxime regibus fuit.* p. 153.

V. *de Comite Palatino Galliae:* auctor *Io. Dan. Schoepflinus.* p. 187.

VI. *Rupertus Caeſar defenſus:* eodem auctore. p. 195.

VII. *Io. Dan. ab Olenſchlager de antiqua conſuetudine, Feudorum Imp. inveſtituram, abſente Caeſare, a Scabinis Francofurtenſibus requirendi.* p. 225.

VIII. *Georg. Chriſt. Crollii* diſſert. *de prima Comitum Veldentiae familia eius-*

que

que communi cum Comitibus Siluestr. origine, a Nahgouiae comitibus repetenda.

Quis quaeso adeo auersum habet animum a litteris omnique liberali doctrina, quin Academiae Palatinae votis bonisque verbis faueat? quin celebret magnanimum Academiae conditorem, longissimamque, quam mortalis conditio patitur, inter Palatinos suos commorationem eidem precetur? Certe posteritas olim aeternis fastis consignabit immortalia *Caroli Theodori* de litterarum flore et incrementis merita.

VI.

Picturae Etruscorum in vasculis, nunc primum in vnum collectae, explicationibus et dissertationibus illustratae a *Ioh. Baptista Passerio*, Nob. Pisaur. Regiar. Academiarum Londinens. Olomucenses, et Italicarum Furfuratorum, Bononiensis, Cortonensis, Panormitanae Ferrariensis, ac Perusinae Socio, *Vol. Primum* tabulas C. continens, aeri insculptas. Romae, 1767. e typographia Iohannis Zempel, sumtibus Venantii Monaldini, bibliopolae. *Vol. Secundum*, tabulas C. continens aeri insculptas. Romae, 1770. etc. fol. maior.

Accurate agemus de opere, cuius non admodum multa exempla putamus in has terras perlata esse, quoque paucorum bibliothecas apud nos ornatum iri, probabile videtur. Praefert illud magnificam speciem: chartas ostentat pulchras: pictorum coloribusque suis scite illustratatorum vasorum magna est varietas: adsunt alia ornamenta, reliquo operis splendore digna. Sed de his agemus

mus paullo post. Iam enarrandae sunt singulae operis partes.

Volumen I. inscriptum est Episcopo Praenestino, Stuppanio. qua in epistola, Etruscae artis monimenta quanto numero inde ab aliquot annis inuenta collectaque sint, admirabundus commemorat, quantamque lucis antiquitas accipiat horum vasorum contemplatione, quam multiplex sit picturarum argumentum, exponit. "Vetus, inquit, Etruria renascens, tantam lectissimorum monumentorum copiam orbi litterario contemplandam obtulit, vt solo quadraginta annorum spatio Graecam Romanamque Antiquitatem, absit inuidia, coaequauerit. Vrbes vniuersae sua protulerunt numismata imperii testimonia, deorum suorum simulacris producta, occultissimas quasque explicarunt religiones, sculptis marmoribus mores, dignitates, praeclare gesta, pleraque alia, quae ad integrandam gentis historiam mire conducunt, patefecerunt. Vbi vero longe digrediuntur ad Troianam historiam explicandam, fines suos non excedunt. Quis enim ignorat, Troianorum sanguinem, cum diis immortalibus coniunctum, ex Etruria fuisse

se propagatum, ipsamque Troiam, Deorum omnium grande negotium, eiusdem nationis coloniam exstitisse? At monumentorum omnium dignitatem longe superant picturae in Vasculis, singulare Etruscorum artificium, quo ingeniosissima natio ita luculenter rerum suarum memoriam ad nos vsque transmisit, vt ex hac parte Graecorum et Romanorum antiquitatem longe superauerit. In fragili quidem materia, sed facillimi apparatus, coloribusque immortalibus incausto confirmatis et festinante penicillo sensus suos ita explicauit, vt historiarum omnium interitum abunde suppleat complexu imaginum, gesta omnia ad viuum exprimentium et, vt ita dicam, verba proferentium. Ambitio Graeca et Romana, quae rerum memoriam non nisi aeri et marmori commendauit, multa tacuit ob impensae difficultatem. Loquacior Etruria figulini operis contenta et gloriae suae magis consuluit, et nobis profuit artificii facilitate. Hisce igitur occurrentibus auxiliis agnoscimus Etruscos intra priuatarum aedium penetralia, et domesticas illorum curas intuemur, quo adparatu, quo cultu, pictis sibi succedentibus,

dentibus, familiaria sacra peregerint, quo solemnia dationis togae celebrauerint, et singularem cum diis familiaritatem prae omnibus populis admiramur. Rursus spectaculorum adparatum ludicros laruatorum processus, si quid ludicrum erat in populo, qui actiones vniuersas consecrabat. Quin immo comicas repraesentationes ad viuum expressas spectamus, et, quod caput est, multa in his tabulis de seclusis Bacchi mysteriis reuelantur, quae alibi frustra inquiruntur. Multa quoque de illorum opinione circa animarum statum post mortem obseruare datum est. Demum nullum vitae officium praeterit, in quo vetus Etruria mentem suam non aperiat." Ex his verbis quisque intelligit, quanta sit seges exspectanda rerum, quam non inanes hae sint picturae, quantum iis illustretur antiquitatis memoria.

Hanc epistolam sequuntur Passerii V. Cl. *Tractatus praeliminares in picturas Etruscorum in vasculis.* Nos vero singulas enarrabimus dissertationes.

p. 13-20. I. *Prolegomena:* in quibus de his vasis, eorum picturis, harum argumentis, atque explicatione picturarum nonnulla dicuntur. Qua in interpretatione, vt

hoc

hoc vnum proferam, spectauit etiam vsum singulorum vasorum. "Quae, ait, maxima sunt, et tripedalem mensuram excedunt, cuiusmodi in Museo Mediceo adseruantur, familiarem et priuatum vsum longe exsuperant, vt facile coniiciamus, comparata fuisse inter pompatica, quae in Larariis aut templis constituerentur. Minora vero, plerumque sesquipedalia, et quae infra sunt, promiscuum hominum vsum facile testantur." Nec neglexit formam, quam dum considerat Auctor, incidit in ea vasa, quorum venter, ex angusta basi in altum adsurgens, paullatim in calicis repandi formam superne dilatatur. Reperiuntur illa in Campania, in sepulchris, cineribus referta, Bacchicis symbolis et mysteriis Orgicis insignita. Noster putat, haec fuisse vasa, plena vino, in mensis collocata, et ex his crateribus conuiuas minoribus poculis hausisse. Cineres vero ideo fuisse his crateribus conditos, quia initia Bacchi ad animarum expiationem facere credidissent. inde quoque in sarcophagis ea sculpta toties fuisse. Cum etiam Campania marmoribus destituta esset, maxima vero argillae bonae copia abundaret, hanc li-

p. 14.

benter Carsipedos ad sepulturam adhibuisse religione quasi terrae matri praestita. In Etruria vero inferiore, cum ibi esset marmoris copia, marmore quoque defunctorum cineres inclusi sunt. Vasa fictilia picta inueniuntur quidem ibi, sed minore numero, quam in Campania.
p. 16. Denique materiam quoque spectauit Vir Cl. Nam Etruscos quoque ditioris supellectilis cupiditas innasit. In ipsis his picturis apparent matronae, ornatissimis vestibus, monilibus conspicuae et gemmatis pateris sacrificantes. Nec pauca supersunt aenea et argentea Etruscorum vasa." Vnde coniicit Vir Cl. haec vascula in vsum popularem atque omnino priuatum fuisse adhibita, si excipias pauca, tanta elegantia et venustate polita, vt ars aut aequet, aut
p. 17. superet materiem. "Vbi vero, pergit, constituerimus, vasa haec in priuatum vsum fuisse confecta, satis prona est coniectura, quod pictores illi a priuatis, domesticis et popularibus ceremoniis atque ab omnibus potioribus humanae vitae actibus emblemata desumserint. Dissonum enim a ratione videtur, Deorum naturaeque arcana, reconditaque mysteria formari in vasculis, quae popularis

pularis quisque priuato vsu contereret."
Hinc in his vasis tantum priuatos ritus deprehendisse sibi videtur, dierum natalitium, nuptiarum, venationum, spectaculorum gaudia. Atque haec causa est, cur Vir Cl. dicat: *Etruriam totam rudiuiuam ex hisce tabulis erupturam esse.* Nam vniuersam Etruscorum vitam in his vasis sibi contemplari videtur. Quod vero fabulae antiquae et deorum imagines in his vasis appareant, hoc inde fieri dicit, quia et bonis ominis causa hic locus daretur, et dii in omnibus caerimoniis interessent multas ob causas. Vltimo loco exponit Vir Cl. quibus notis deos ab hominibus distingui putet. p. 18.
Vbi inprimis memorabile visum est, quod ille obseruauit, pictores Thuscos diis singulis libentissime deas compares iunxisse. Interim fatetur, cuius professio- p. 19.
nis candor placet, " in hisce picturis plurimos occurrere ignotorum symbolorum, aut etiam nullorum, deos, quorum nomina vel penitus penitusque ignoremus, vel, si vnquam ex Augustino et Arnobio memorari legerimus, illis sine oscitantiae nota adsignare nequeamus."

Neque iniucundum est, cognoscere, vnde hauserit interpretationes horum va-

p. 20. forum Vir Cl., Tres, ait, omnino illorum fontes sunt. "Graecorum auctoritas, e quibus cum plerumque Thuscos nostros progenitos habeamus, satis credibile est, mores plurimos ex illis retinuisse: praeterea Romanorum; cum enim sciamus multa eos ab Etruscis fuisse mutuatos, immo ab illis circumseptos, vero maxime accedit, vtriusque populi mores in multis conuenisse. Quapropter cum in his tabulis caeremonias videamus, quae Graecis et Latinis testimoniis declarantur, minime absurdum duxi, si ad ipsos mores illustrandos eadem adhiberem. Quod praecipue fieri oportebat, cum scriptorum illius gentis neminem penitus habeamus. Maxima vero atque omnium aptissima auctoritas ex ipsismet, inquit, Etruscis monimentis mihi sumta est. cum enim idem ritus in multis picturis recurrat, sed parerga et additamenta sint in omnibus varia, haec omnia simul collecta, et ordinata rei notitiam locupletant, et eiusdem ritus historiam integrant et per partes confirmant."

Ordo, quo haec vasa collocata apparent, ex consilio Auctoris, Thuscorum vitam et mores illis illustrandi, ortus fuit.

fuit. A nuptiis incipit; transit ad natalia, pergit ad pueritiae, mox ad iuuentutis tempora; tum virilis aetatis studia perlustrat atque in funere desinit. Immo pollicetur, se, omni horum vasorum copia euulgata, mores singulos Etruscorum, e singulis tabulis collectos, ad certam rationem redacturum esse.

II. *Vindiciae Etruscae.* Ideo hoc caput sic inscripsit, quia in eo vasa haec Etruscis, non aliis populis, vt nonnulli docuerunt, tribuenda esse ostendit. Materiam et stilum respondere Etruriae; Romae nihil horum inueniri: omnia erui in Campania et Etruriâ: vnde videri quoque hanc Etruscorum artem iam exspirauisse eo tempore, quo Romani peregrina thoreumata et vasa pretiosa in partem luxus admiserint. Atque etiam Romanos figulinam quidem artem exercuisse non sine laude, sed vasculum pictum, quod vere Romanis tribueretur, nunquam fuisse inuentum. "Id tamen, addit Vir Cl. artificium pulcherrimum non praetermisissent, nisi secreta artis ceramicae pingendae opere encaustico tormento fornacis obsistente, oblitterata fuissent, periissentque cum ipsis artificibus, reconditae scientiae tenacissimis." p. 21-27.

Campaniam ab antiquis auctoribus ob figulinae artificium celebrari; immo artis originem inde per Italiam promulgatam fuisse: et olim et nunc in tota fere Etruria haec vasa inueniri. Fauere gloriae Etruscorum vsum scripturae Etruscae, in his vasis, praesertim vero in fictilibus pateris, adhibitae ab antiquo artifice. "Vestium porro omnigenus cultus, symbola, ornamenta, ritus, et mores in hisce vasculis depicti ita respondent stilo Etruscarum scalpturarum, atque simulacrorum; vt, vbi vtraque comparaueris, minime haesitandum sit, quin omnia eidem genti adtribuas. Quanto enim a Romanis modis recedunt, tanto magis conueniunt cum Etruscis." Inanem esse disputationem, vtrum haec vasa Campana an Etrusca appellanda sint. nam Campaniam fuisse coloniam Etruscorum. Vltimo loco Vir Cl. quaedam adspergit de vasis quibusdam, Etruscos artifices mentientibus recentiorique aeuo ad Etruscorum imitationem effictis.

p. 29-52. III. *De Laribus Etruscorum.* Obseruauit enim Vir Cl. deos aliquos in his vasis, quorum officium et symbola respondere censuit his, quae de laribus antiqui

antiqui tradiderunt. Hinc huius capitis argumentum enatum est: vnde nominis Larium origo ducenda sit: Lares apud antiquos fuisse maiorum vmbras, quae, corpore functae, familiam suam et posteros tuerentur: cultum Larium, licet sit superstitiosus is, ostendere tamen, semper viguisse sententiam de animorum immortalitate, de illorum poenis et praemiis, deque praestandis quibusdam, quibus humanitatis maculae animabus defunctorum detergerentur: Lares publicos eiusdem fuisse naturae, ac Lares familiares: credibile esse, antiquos totidem habuisse Laras, quot Lares: Lares multiplici ornatu exhiberi, praesertim nudos, aliquando praetexta indutos esse: Lares Viales peregrinorum habitum praeferre: Lares Hostilios semper armatos esse. Horum signa plerumque tributa fuerunt Marti. Omnium simplicissimus Larium cultus ex linteolo constat, negligenter ab alterutro brachiorum deiecto: id quod non Mythologia praecepit, sed suasit picturae lepor. Praecipuum vero atque proprium omnium Larium, praesidum familiae, gestamen est nodosus fustis, seu claua exitior, qua in illos animaduerterent, qui

familiam sibi creditam exturbarent, et factis inquietare tentassent. Denique lararia domestica multiplicis formae describuntur, illorumque donaria et ornamenta recensentur. Lararia vulgi, vt ex his picturis apparet, loculamenta fuerunt, in pariete efformata, haud magnae amplitudinis, rotunda saepe, interdum quadrata, sublimi tamen loco, vt ab hominum commercio segregarentur. Ditiores vero et potentiores, his loculis non contenti, armaria habuerunt longa, et elato suggestu in altum sublata columnis, antis, coronide, fronte, ceterisque architecturae ornamentis decorata. Vtraque firmissime claudebantur valuis: domestica quoties sacra fiebant, valuae aperiebantur. Demum agit de foco Larium, cui summa aderat religio, quemque non putat alium fuisse, quam illum in familia communem, in quo dapes pararentur.

p. 53-63. IV. *De re vestiaria Etruscorum.* Primum deorum, tum virorum, tandem foeminarum vestes describit. Memorabilis est inprimis Mercurius, animarum ad inferos dux. Quatuor amplissimis alis, tergo appositis, instructus apparet: quarum duae in superio-

ra

ra protenduntur, duae in inferiora, Bracchium vnum attollit, alterum submittit: vno genu terram premit, elatum alterum ostendit. Hic corporis habitus duplicem illius potestatem indicat. — Illustratur hoc capite ab Auctore etiam armatura Samnitum, quae in his vasis visitur. Sed haec aliaque non satis apte huc transferri possunt.

V. *De pictura Etruscorum.* "Non equidem ibo inficias, inquit Vir Cl. paucula illa Romanae picturae fragmenta [immo forte rectius, picturarum, siue a Graecis artificibus pictarum Romae, siue ad Graecorum exemplorum imitationem confectarum] longe nostris artificio praestare." At quis ignorat, potentissimos ciuium ac principes ad sepulchra et Thermas sumtuosissimas depingendas summos artifices delegisse? Contra ad haec fictilia vasa excolenda humilioris notae pictores et artis tirones admittebantur. Sed hoc est, ex quo picturae Etruscae dignitatem efferamus. Nam si vulgus artificium apud illos tam scite, tam belle, tamque sapienter et manu festinante ac properante sine studio conceptus exprimebat, et vix tumultuario lineae p. 64. 78.

extimae

extimae ductu adeo praestabat, quid putamus fecisse optimos, qui ad templa, aedesque publicas exornandas seligebantur? "Atque sic pergit Vir Cl. pictorum Etruscorum laudes enarrare. Praedicat vim atque motus imaginum: veritatem atque varietatem affectuum, atque cum totius tabulae eam descriptionem, qua quidque suum locum decenter sortitum
p. 69. fuit." Artuum, inquit, contrapositio, rationi obediens et naturae imitatrix, quam appellant gratiam motionis, in omnibus fere Etruscorum imaginibus, quantumuis quiescentibus atque vacuis, inuenitur; vt, vbi actio totalis deficiat, suppleat partialis, et artus corporis in aliqua actione sint, quibus ipsum otium cum dignitate excitetur. — In animi perturbationibus significandis non naturam modo imitati sunt, sed mores cuique statui maxime conuenientes. — In tripudiis et Bacchanalibus referendis, quae ab extrema corporis et animi perturbatione oriuntur, et propterea exigunt a pictore motiones omnium vehementissimas, Etrusci nostri maximum artis periculum fecere felicissimo euentu. Ea schemata nobis obiiciunt vltimos conatus naturae, humana corpora commouentis,

mouentis, vſque quo ſtatica corporea patitur, et propterea omnium difficillimos, praeterea ſemper varios, varioque ſemper aſpectu, plerumque obliquo, depictos, in quo praeſtando proſpectiuam corpoream, quam nullis vnquam legibus Geometria complexa eſt, oportet illos calluiſſe; alioquin tam varias, tam arduas et tam bene expreſſas humani capitis declinationes, quae motu inſenſibili notabiliter variantur, exprimere non potuiſſent. Sed in ipſis violentiſſimis motibus eſt inexplicabilis gratia cum veritate coniuncta, quod vt aſſequerentur ſcitiſſimi artifices, adoleſcentulorum et mulierum perfectiſſimas formas ad haec Bacchanalia referenda ſelegerunt, in quibus ipſe furor venuſtatem ſpirat nec vnquam a lepore disiungitur. Adhibuere libenter et Satyriſcos, in quibus rudis illa ſimplicitas et incomta actionum imitatio picturam variat et praeter modum exhilarat. — Pannorum compoſitionem venuſtiſſime tractarunt. Nihil in iſtis, vt hodie ſolet, arbitrarium, atque fortuitum, ſed plicae omnes, canaliculi, deſcenſus, receſſus ſinus, vmbones, anguli, fluxusque ratione ſua ita regulantur, vt ex neceſſitate procedant.

Nos vero commorabimur vno inprimis in loco. Iam patrum memoria quaesiuerunt viri docti, an mensurarum obseruatarum laus antiquis tribui posset? aliis dicentibus, eos sic res exhibuisse, vt alia abscedentia, alia prominentia esse viderentur ex legibus artis, aliis plane negantibus, hac eos facultate valuisse. Haec controuersia nuper renouata, agitataque a *Lessingio* summo impetu et magno clamore, tacito contemtu vicifcente, qui aliter sentiret, Sophisticas cauillationes. Iam cum de eadem re
p. 74. *Passerius* quoque sententiam dixerit, non poenitet, totum locum adscribere. "Quae fuerit apud Thuscos illa picturae pars, quae versatur circa campum adornandum, in quo figurae collocantur, profecto ignoramus. nam in hisce picturis tam imagines inferioris ordinis, quam quae supra sunt, in monochromate versantur. Nihilominus indicia supersunt, quae persuadeant, Etruscos id etiam officium picturae calluisse, praesertim vbi vdo tectorio depingerent, quod fortasse picturae ceramicae non conueniebat, ne imaginum exilitas cum hisce additamentis confunderetur ob aequalitatem tincturae,

quam

quam diluere non solebant, vt remota a proximis disiungerentur. Vbi vero multiplici colore ac dilutiore res agenda esset, adhibito artificio lucis et vmbrae, iam nullus dubito, quin spatia et areas conuenienter implere non valerent. Sunt in istis vasculis lineae quaedam, et terrae tractus saxis, scopulis, herbis arbusculis eleganter luxuriantibus, floribusque pulcherrimis refertissimae, sub linea orizontali constitutis, quae si libuisset, dilutiore atramento et sensim fugiente reiterari gradatim in punctum altius potuissent. Sed genius seculi, vnde mercimonium normam recipit, facilitas operis, tenuitas pretii, et, quod caput est, huius picturae natura fucos hosce respuebat. Hinc cum deos in altum locarent, nunquam refugium habuere ad nubium globos, quorum nec vestigium quidem est in his tabulis, et fortasse in tota antiquitate, sed illis strauere vestium globos ad imaginem puluinaris. Cum vero hominum imagines in altum locare vellent, veluti in loco magis distanti, sub illarum pedibus lineas quasdam ex globulis efformarunt, in quibus consisterent. Prospectiuae leges, seu saltem praxim mechanicam

chanicam oculis ducibus calluisse; vt saepe in Notis obseruauimus. Intellexere inprimis, qua lege corpora recedentia a linea sectionis pro modo distantiae attenuentur, et sensim ad prospectiuae punctum adtollantur, vt liquet ex Tab. XXXV. et XXXVI., in qua puellarum schemata aliquantum distantia supra lineam plani conlocata sunt. Prospectivam vero Architectonicam peritissime tractarunt; nam corpora regularia, vt pateras et discos ita obliquarunt, quantum peritissimus quisque nostrae aetatis praesumeret. Alicubi videas arculas cubicas ita scientifice delineatas, expresso quoque anguli occulti fulcro, vt si lineas visuales ad punctum prospectiuae ducas, artis legibus respondere non haesitaturus sis. Centies praeterea inuenias sacella aperta, quorum inferior contignatio in punctum visuale recte collimat, quo artificio plana illa superficies tertiam dimensionem recepit, nempe profunditatem, quae necessaria erat ad figuras interius opportune conlocandas. An ipsi lineam distantiae obseruauerint ad corporum recessum determinandum, cum in hisce picturis absoluendis properarent, profecto nescio.

Quin

Quin puto, illos oculo duce penicillum tractasse; sed ex hoc illorum intelligentiam arguimus, cum sine optimis exemplaribus, ex quibus oculus perfectioni adsuesceret, manu festinante ideas hasce exsequi non potuissent."

Sub finem capitis vtilissimis praeceptis instruit Vir Cl. eos, qui cum haec vasa, tum monimenta antiqua alia lineis reddere studeant. p. 76.

Delati sumus ad vasa ipsa, quorum *Classem* I. quae *tabulas nuptiales* habet, lustrabimus, secuturi interpretationes et opiniones *Passerii*. Nam addidit huic volumini commentarium, quo explicare studuit picturarum argumenta. (*pagg. 90.*)

Tab. I. II. et *III.* Iouis et Iunonis nuptiae. (nam haec vasa ad nuptialia gaudia pertinuisse putat, quia argumenta ea in vasis depicta esse putat, quae vsui vasorum responderent. Sic res fortiter gestae pingebantur in vasis, mittendis adolescentibus, cum togam sumerent: sacra deorum domesticorum in vasculis connubialibus exhibebantur etc.) Inter Iouem et Iunonem contemplari sibi videtur Genium Iunonis Paranymphum, muliebri cultu caput redimitum

 et

et ſpeculum praeferentem, procul dubio offerendum. E pariete pendet cingulum Iunonis virginale.

Tab. IV. V. VI. Iterum in alio vaſe nuptiae Iouis et Iunonis exhibentur, licet alia ratione. Horae, vt ibi, ſacrificium procurant. Sed multae perſonae, quas non vacat enumerare, has nuptias celebrant. Quid? quod *Fortunam Manentem* inuenit Vir Cl. Eſt Dea, ſcalam ſuſtinens. Ingenioſe profecto huc vocauit Aeliani *Var. Hiſt.* II. 29.

Tab. VII. Herculis et Hebes nuptiae. Stat tripos, arae impoſitus et Victoriae manu caeſus bos coronatus cadit. Quam bene haec in nuptiis Herculis hoc munus obit! Adſunt tres Parcae, cum Apolline, fata praecantaturae.

Tab. VIII. IX. X. Herculis et Deianirae nuptiae. Dea Pudicitia ſub palma ſedet, caput ſibi velo obnubens. Nec praeteriit Vir Cl. aliam rem. Deus et dea, circum aram ſtantes, ſacrificanti tantum terga conſpicienda praebent. Hoc frequenter obſeruauit Vir Cl. cauſamque edit hanc, quia homines deorum aſpectum non ferre poſſe exiſtimabantur.

Tab. XI. et XII. Pirithoi et Hippodamiae nuptiae. Bacchus ſenex fuſcinam tenet. Inter deos enim fulguratores referebatur, atque etiam in patera Etruſca illi fulgur triſidum tribuitur.

Tab. XIII. Iphigeniae nuptiae ſimulatae. Duo coniunxit pictor, diuerſis temporibus facta, conſilium in Aulide initum et legationem ad Clytaemneſtram Mycenis abſolutam. Antitopeiam vocat Auctor, et ſupra (*diſſ. V. p.* 74.) illius exempla in his vaſis exſtare monuit.

Tab. XIV. Venus Cupidinem oſculatur, multis margaritis, ex humero ſiniſtro in latus dextrum profluentibus, ornatum. Collum vaſis alia pictura ambit. Inter Veneris cygnos Cupido ſollicitus ouum ab illis genitum colligit, vt ex eo aliquis Caſtor, ſeu Pollux erumpat, bono nuptiarum auſpicio.

Tab. XV. XVI. Dii nuptiales. Chorus Deorum pompam nuptialem condecorat praeſentia ſua.

Tab. XVII. Venus pronuba cygnum manibus praemittit, et guttum, forte balſamis plenum, attollit. Addita eſt noctua, ſymbolum ſapientiae.

Classis II. exhibet *Adparatum Nuptialem.*

Tab. XVIII. Sponsa sitellam ad aram defert, vt sacrificet: mater vestem nuptialem adfert; lararium apertum deae caput ostendit.

Tab. XIX. Mater pro filia adstante, elata super aram patera, diis sacra facit.

Tab. XX. Mater sacrificium parat, dextra flabellum attollens, ne nudis oculis deos apparentes videat.

Tab. XXI. Idem argumentum. Tripos, columellae impositus, pro ara est.

Tab. XXII. Dea Virginensis in larario. Addita sunt duo cornua copiae, e quibus non poma, nec vuae prominent, sed gemina infantum capita, futurae foecunditatis omina.

Tab. XXIII. Idem argumentum, nisi quod dea flabellum, a virgine sibi dono datum, ostentat.

Tab. XXIV. Idem argumentum, nisi quod donaria differunt.

Tab. XXV. Sponsa speculum offerens deae in larario.

Tab. XXVI. Dea Virginensis cum diis coniugalibus.

Tab.

Tab. XXVII. XXVIII. et XXIX. Sponſa Deae Virginenſi ſacra faciens. Vna dearum irrigat aqua ex hydria profluente arbuſculam humi poſitam. In natalitiis ramus arboris Genio ſacrabatur. Forte hic ritus etiam in nuptiis adhibitus fuit. [Sed quid ſi vniuerſe hoc ſymbolum eſt futuri vigoris, foecunditatis etc.?]

Claſſis III. Balnea Nuptialia.

Tab. XXX. et XXXI. Balneum, ad formam crateris formatum, procerae columnae impoſitum eſt. Aduerſa vaſis pars aliud argumentum habet, exhibetque matrem, adoleſcenti togam virilem praebentem.

Tab. XXXII. Idem argumentum.

Tab. XXXIII. Sponſa caput comens.

Tab. XXXIV. Pelei et Thetidos nuptiae. Horae geminae ſuperne volantes ſponſam ad thalamum inuitant.

Tab. XXXV. et XXXVI. Sponſa poſt balneum ornata. Amor volitans virginale cingulum ſponſae adfert. Arbor quoque [an Genio ſacra et in facti memoriam conſita?] obſeruatur, ad cuius vmbram ſedet lar domeſticus. In parte poſteriore deorum chorus nuptias auſpicatiſſimas reddit. Etiam hic duae arbuſculae viſuntur.

 Tab.

Tab. XXXVII. et XXXVIII. Idem argumentum. Balneum consecrat Cupido, passerculum manu ostentans. In posteriore parte passerculus ex larario prodit, et coronam sponsae capiti imponit.

Tab. XXXIX. et XL. Idem argumentum. Balneum nobilitat Cupido supervolans et iugum maritale geminatum, quo coniuges iungat, suis manibus defert. Mulier serpenti, ex arbore, pomis plena, pendenti, escam libandam praebet. Quo quid indicetur, Auctor non definit: quasdam coniecturas proponit.

Classis IV. Sacra Nuptialia.

Tab. XLI. Coniuges sacrificantes.

Tab. XLII. et XLIII. Geniae in nuptiis cultae. In illo conspicitur insidens Delphino, monili et armillis ornata, atque praeferens coronam nuptialem dea: in hoc arae suae insidet, et placentam sibi oblatam ostentat, e qua ramusculi quatuor prosiliunt roris marini.

Tab. XLIV. et XLV. Genius in cornu potatorio.

Tab. XLVI. Genii fascias deferentes.

Tab. XLVII. Sacrificium Fortunae muliebri oblatum. Genius alatus adstat,

ſtat, muliebriter cultus et ſcalam extollit, quam ſymbolum Auctor Fortunae exiſtimat.

Tab. XLVIII. Sacrum Genio.

Tab. XLIX. Mulier Genio ſacrificans.

Tab. L. Lar armatus ſponſae occurrens.

Claſſis V. Lectus Genialis.

Tab. LI. LII. et LIII. Dedicatio lecti nuptialis. Sub Larario octo clauorum, parieti infixorum, capita conſpiciuntur, quibus numerum eorum, qui in familia eſſent, deſignatum fuiſſe, e Petronio colligitur.

Tab. LIV. LV. et LVI. Ritus coemtionis. Noua nupta nummum offert deo, i. e. Genio mariti.

Claſſis VI. Natalitia.

Tab. LVII. Sacrum Natalitium. Dea, quae natalibus praeeſt, nuda, ornata reticulo et margaritis, matronae, vota ſolventi, apparet. Altera manu monile geminatum ſuſtinet, altera vero pomum; ſiniſtro pede (nam auſpicia, a ſiniſtra capta, fauſta cenſebantur) premit fruticem vitis, ob pueri memoriam recenter conſitae. Sedet in ſuggeſtu materfamilias orantum more, intra ſtolam

contenta, e qua manum dexteram apertam tantum producit, numum ostendens, quam in natalibus Ilithyae offerre solebant. Matrona non in scamno sedet, seu cathedra, sed super aram, siue super arcam, in qua sacra continebantur: id quod in Etruscis monimentis saepe obseruatur.

Tab. LVIII. et LIX. Soleme natalitium. Omnia deorum ministerio peraguntur. Prima dearum, magnifice stolata, cunam pueri custodit, atque *Cunina* ab Augustino appellatur: euolat e cuna deus *Natalis* cum cithara; tres Musae carmen concinunt: primas agit Natalis Iuno. Apparet etiam lectus, qui Picumno et Pilumno, infantium diis, in atrio sternebatur.

Tab. LX. Sacrum domesticum.

Tab. LXI. Genius mulieri precanti occurrens. Genius muliebri reticulo et margaritis ornatus, incedit sinistro pede nudo, dextro caligato. Hoc respicit secreta quaedam sacra. Virgilius: *Vnum exuta pedem vinclis in veste recincta.*

Tab. LXII. Mater Genio sacrificans.

Tab. LXIII. et LXIV. Sacrum Geniale. In altera parte Fortuna Genio occurrit,

scalam,

ſcalam, ſui inſigne, attollens et vuae racemum, vbertatis ſymbolum. Inter vtrumque ſurgit e terra ramus frondeſcens.

Tab. LXV. Dea Cunina infantum cuſtos. Nuda eſt, alata, inter geminos vannos, in quibus pueri ab aluo matris excipiebantur, paruulam cunam attollit.

Tab. LXVI. Dii domeſtici ſacro adſtantes. Papaueribus Lucinam placatam eſſe hinc diſcimus.

Tab. LXVII. Sacrum Natalitium. Materfamilias Genium, muliebriter ornatum, veneratur, eique vannum reſignat, in quo natus, ex vtero prolapſus, exceptus eſt. Contra Genius arcam ſeu Cunam matri offert.

Tab. LXVIII. Sacra natàlitia. Senex barbatus cunam attollit ante lectulum, Picumno et Pilumnio conſtitutum, vt puerum defendant a Siluani et Strigum inſidiis. Senex ille eſt Lar familiaris.

Tab. LXIX. Idem argumentum. Genia alata tibias pares geſtat. Veſta, ſiue Dea Pudicitiae, velum in caput tollit. Alia ſedens citharam pulſat.

Tab. LXX. Sacrum Kalendarium. Matrifamilias, ſeminudae, et veluti de

balneo ſurgenti, iamque ſe ſacrificio paranti cum muſico concentu occurrit Genius, molliter ornatus, ſimul coronam, ſacrae ceremoniae indicium, et diptycham tabellam, ſeu librum apertum oſtendit, in quo duorum menſium ſinguli dies diſtinctis calculis ſignati ſunt. Mulier tympanum cum bacillis prope ſuſpenſum manu demonſtrat. Ipſa manu et pede mouet inſtrumentum Muſicum monochordon, ſat memorabile.

Claſſis VII. Togae virilis adſumtio.

Tab. LXXI. Lauatio praeparatoria: quae lauatio Viro Cl. pertinuiſſe videtur ad expiationem animae, ſi quid priore vita peccatum eſſet. Notandae in iuuenis corpore nudo geminae armillae, etiam in balneo ſeruatae. Habebant enim gemmas, quibus magnam vim tribuebant, quasque ideo neque, cum lauarentur, deponebant. vide tab. XXX.

Tab. LXXII. Idem argumentum. Duo ſunt adoleſcentes, balneo iam parati, quorum vnus ſtrigilem attollit, medius vero, cuſtos, ſiue inſtitutor, cum virga, aram manu deſignat, vbi iubet vota perſolui vltima. Seorſim praetextae viſuntur depoſitae. In linea inferiore adoleſcentibus

lescentibus iam toga data est, praeceptore medio stante cum virga: instruit nunc togatos, et, quid agendum sit posthac, monet. Praeceptor more virorum erectum habet brachium nudum.

Tab. *LXXIII.* Idem argumentum. Mater palliata filio paratum balneum explorat, an recte se habeat.

Tab. *LXXIV.* Idem argumentum. Adolescens nudus strigilem manu sinistra sustinet, dextra nodosum quoddam cingulum, forte lorum illud coriaceum, quo pueri minoris fortunae pro bulla vtebantur.

Tab. *LXXV.* Idem. Puella, cum lance et flabello, tria oua defert ad lustrationem.

Tab. *LXXVI.* Adolescens balneo praeparatus.

Tab. *LXXVII.* Idem argumentum.

Tab. *LXXVIII.* Adolescens post balneum matri occurrens.

Tab. *LXXIX.* Mater Genio sacrificans. Genius matri occurrit, et spolia aetatis puerilis, cingulum, seu lorum bullae, et arculam cum deposita praetexta, sibi dicata, iactabundus ostentat. Mater sedens coronam lemniscatam

tam

tam imponit arbusculae, Genio sacrae, quae ad illius pedes frondescit.

Tab. LXXX. Idem argumentum.

Tab. LXXXI. Sacrum post balneum. Mater filium ad sacra diis facienda excitat. Is, adhuc nudus, cum linteo balneari ad aram properat, coronam attollens. Paries duplici libo decussato, quaternis clauis suffixo, conspicuus est.

Tab. LXXXII. Sacrum praetextatum. A tergo sacrificantis pileus e clauo suspensus conspicitur, veluti votiuus Lari viali.

Tab. LXXXIII. Idem argumentum. Mater pro filio iam togato vota suscipit et diis domesticis coronam, seu torquem suspendit. Quin etiam addit monile gemmeum, quod vt intelligeremus e margaritis compactum esse, illud expressit pictor dependens e concha margaritifera. Mulier, dextrum pedem attollit, quod ad formulam pertinet.

Tab. LXXXIV. Praetexta deae Iuuentae oblata. Stantem hanc in sacello conspicimus, cui materfamilias humili habitu, hoc est, sine stola, praetextam filii et cingulum offert, tanquam votiuum pro bene exacta pueritia.

Tab.

Tab. LXXXV. Dea Iuuenta sedens in Larario. Sponte attollit scriniolum, in quo praetexta deposita est. Hoc indicat bulla puerilis, ex arcula pendens.

Tab. LXXXVI. Idem argumentum. Cellula larium in pariete suspensa conspicitur. Ex ea plerumque deâ aliqua caput profert. In hoc vero nullus deorum conspicitur, sed Columba, siue quaecunque alia auis, obscuro symbolo.

Tab. LXXXVII. Idem argumentum.

Tab. LXXXVIII. Idem.

Tab. LXXXIX. Pater cum filio sacra faciens. In aduerso latere materfamilias, reticulo ornata, iuncta sibi sacrificula, quae nudo capite ministrat, vitem sacram, Genio filii dedicatam, honoribus solitis prosequitur.

Tab. XC. Idem argumentum. Dum genitor exertus filium togatum alloquitur, geminae mulieres, matronali cultu, sacra ad aram faciunt. Altera thus in aram fundit, altera pateram adtollit.

Tab. XCI. Idem argumentum.

Tab. XCII. Idem. Mater arae innixa vittam diis sacrat, nisi cingulum sit, quo puerilis bulla ligabatur.

Tab. XCIII. Mater occurrens genio filii. Genius filii, qui togam accepit,

pit, vitem, sibi sacram ac veluti in tutelam susceptam, praeferens, matri occurrit, quae videtur illi agere gratias.

Tab. XCIV. Idem argumentum. Genius, matri occurrens, vitem bifidam in disco praefert, velut conferendam in memoriam susceptae a filio togae, altera manu tenet vuae racemum, tanquam boni ominis indicium. Ad pedes Genii surgit arbuscula.

Tab. XCV. Pater, post traditam filio togam, illum alloquitur.

Tab. XCVI. Pater et natus, iam toga indutus, cum thyrso frondente. Pater et natus, pariter togati virgam longiorem stringunt, foliis repandis insignem.

Tab. XCVII. et XCVIII. Mater cum nato ad aram. In aduersa parte pater, seorsim positus, ante aram domesticam, pro filio vota concipit, brachiis manibusque velatis. Hic habitus obsequium et animum ad religionem compositum indicabat.

Tab. XCIX. Adolescentes togati. "Credibile est, ait Vir Cl. pocula huius moduli adolescentibus minoris fortunae dono dari consueuisse a parentibus, vel affinibus, vt monumentum aliquod huius

solemni-

ſolemnitatis apud ſe conſeruarent, in quibus nil, niſi puer togatus, et vndique velatus expreſſus eſſet, quemadmodum, ſumta toga, diis votum ſoluebat."

Tab. C. Puer togatus expreſſus eſt, nondum in publicum prodiens, ſed ſtrigilem attollens, munus tironibus datum; quo poteſtas publicorum balneorum, ipſis conceſſa, indicatur. In altera parte mater capillata ſtrigilem ſuſtinet filio tribuendum. Habitus vtrique par, nullo ſexus diſcrimine intercedente. nam hoc more antiquiores vtebantur. Aſconius ad Ciceron. *Toga communis habitus fuit, et marium et foeminarum.* * Atque idem etiam alii veterum auctorum memoriae prodiderunt.

Copioſius haec aliaque enarrare cupientem auocat *Volumen II.* cuius argumentum non praetereundum nobis eſt. Etiam illius in fronte poſiti ſunt duo *tractatus praeliminares*, licet, ſi ex noſtro ſenſu iudicare licet, inferiores iis, quos Vol. I. ſibi adiunctos habet.

I. *De arcana Etruſcorum philoſophia.* Ipſe Vir Cl. ſuum conſilium explicat. * Oſtendere enim cupit "fuiſſe p. 11-71.

inter

inter Etruscos, praeter ludicra illa haruspicinae studia, scholam aliquam seclusam nec multitudini peruiam, in qua, dum multitudo declinaret in fabulas, arcana quaedam doctrina a primis vsque parentibus propagata custodiretur, et litteris mandaretur." Hinc docet primum Philosophiae apud Etruscos studium maxime viguisse, doctiores et acutiores arcanam quondam coluisse philosophiam. Huic deditos, vnum omnino deum esse, credidisse, vniuersi orbis conditorem et rectorem: eundem aeternum et immortalem: [Fateor verbosiorem hic esse auctorem, quam opus sit. Vtinam *paucis philosophari* maluisset!
p. 17. Quis credat, illum verbi *Iehouah* originem et vim explicuisse!] hanc arcanam veri dei cognitionem ab Etruscis peruenisse ad Romanos [Noluimus chartas, quas longe vtilioribus rebus implere possumus, perdere vel narrandis, vel refutandis Viri Cl. opinionibus. Totum caput V, quod inscribitur, "sapientiores Etrusci praeter religionem naturalem necessario agnouerunt et admiserunt etiam religionem reuelatam" prodit auctorem, parum philosophum. Nil similitudo fortuita aliquot verborum

in

in diuerſis linguis, nil coniecturae merae, quae nullo fundamento nituntur, efficiunt. Taedet repetere haec, quibus tale opus commaculatum eſſe, aegre ferimus.] Quanquam vnius et aeterni dei cultores fuerint Etruſci, aliquam tamen (retinebimus Auctoris verba) in Deo generationem eſſe, eos agnouiſſe. Hoc putat illuſtrari patera Etruſca, in qua apparet Iupiter, Mineruam e capite effundens. Porro ſapientiores Etruſcos putaſſe, hominem a Deo efformatum fuiſſe è luto, immo ad Dei imaginem efformatum. Sed quid multa? In *cap. VIII.* ſe docturum nunciat Vir Cl. "Conditionem naturae lapſae eiusque detrimenta cognouiſſe ſapientiores Etruſcos non tantum ex ratione, verum etiam ex traditione reuelatae fidei." [Homo, ſibi relictus, quomodo ea, quae rationis acumine nullo modo erui poſſunt, aſſecutus ſit, nemo facile dixerit. Eadem vero dum diuino numine tradita illi fuiſſe, perſuadere nobis nititur Vir Cl. argumenta profert, admodum leuia. Sed non vacat copioſe haec excutere. Quare tantum ſententias ponemus Viri Cl.] "Nulla inter antiquas Nationes in-

inuenta est, quae creationem coelestium quarundam potestatum ignorauerit, sed nusquam huius doctrinae frequentiora monumenta inueniuntur, quam penes Etruscos." — "Prauorum angelorum supplicium Etruscis notum." — "Animae immortalitas constantissime ab Etruscis asserta." — "Apotheosis ab Etruscis Philosophis constanter admissa." — "Arcana Etruscorum Philosophia transmigrationem animarum admittere non potuit." — "Supplicia aeterna malis imminere post mortem, putabant Etrusci." — "Leuiora crimina temporaria tantum poena expiari credebant." Sed mittamus haec aliaque.

p.73-86. II. *De Musica veterum Etruscorum.* Etruscos in Italia omnium primos Musicam coluisse, organa omnia inuenisse, perfecisse atque Romanis tradidisse. Temporis segmenta et gressus harmonici quomodo a Thuscis designati fuerint? Tria organorum genera, tensilium, inflatilium et pulsatilium recensentur. Cithara omnium moderatrix. Eius partes accurate describuntur, vna cum aliis tensilibus Etruscorum. Infla-

ctilia illorum commemorantur. Describuntur pulsatilia, quae in Etruscorum monimentis conspiciuntur. Ex horum vero organorum structura, iisque, quae copiose explicuit, apparere putat, Musicam Etruscos habuisse perfectissimam, sine Graecorum adiumento. Quibus dictis comparat recentiorem Musicam cum antiqua, cuius disputationis summa haec est: in organica nos praestare antiquis, at in melopoeia superari ab illis.

His libellis addita est interpretatio centum, quae hoc secundum Volumen ostentat, vasorum. (*pagg. 76.*)

Classis VIII. Festiui apparatus in togae virilis assumtione.

Tab. CI. Dea Iuuentus adolescenti praetextato occurrens. Dea, coronata, solutis crinibus, adolescenti, togam praestolanti, e coelo delapsa, citharam offert, veluti symbolum nouae aetatis, quae ad grauiora studia excitabat.

Tab. CII. Tripudia in adsumtione togae celebrata. Varia instrumenta musica intueri licet.

Tab. CIII. Conuiuia in adſumtione togae celebrata. Silenus coronam habet, tribus globulis in fronte inſignitam, nam ternus numerus Baccho ob triplicem in Indos expeditionem gratiſſimus credebatur.

Tab. CIV. Apotheoſis in togae datione. Praecedit Mercurius, dux itineris, ſubſequitur Hercules, qui humeris Bacchum, ſenem imbecillem ac multo vino temulentum et vacillantem, in coelum defert.

Tab. CV. Ludi et lectiſternia in togae virilis adſumtione. Larunda iacet in lectiſternio, quod inter maximas deorum precationes cenſebatur, nec niſi diebus ſolennioribus aut magna calamitate fieri ſolebat.

Claſſis IX. Sacra diuerſa in traditione togae.

Tab. CVI. Cultus Lari domeſtico habitus. Mater filium, e balneo ſurgentem cum linteo, et pateram porrigentem, alloquitur, et ſitulam defert, vnde vinum

num fundat, antequam togam induat et coronam ſumat. Senex barbatus baculo innititur.

Tab. CVII. et CVIII. Idem argumentum. Hinc intelligimus, quo ritu toga primum componeretur ſupra dorſum adoleſcentis. nam non modo bracchia penitus incluſa tegebat, ſed partem etiam faciei, oculis tantum exemtis. qui cultus non ſolum ad verecundiam pertinebat, ſed etiam ad maieſtatem ſacrificii, quod velatos facere fas erat.

Tab. CIX. Idem argumentum. Lares domeſtici nudi a matrefamilias coronantur. Haec viticulam calcat ex illis, quas in memoriam traditae togae humo mandabant.

Tab. CX. Idem argumentum. Domeſticum Sacrarium ramuſculis virentibus ab omni parte nitet. Alueolus, in quo Lares ſeruabantur, apertus eſt, vnde ex catenula pendet ſuſpenſa ſitula vini, ad ſacrificium peragendum. Larunda ſeminuda aram occupat, oblationes ex-

ſpectans, et vittas ſacras, ad caeremoniam rite peragendam, mulieribus ſacrificulis offert. Harum vna lancem cum ouis ſiniſtra attollit ad expiationem, dextra crotala ſtringit: altera ſitulam e ſacrario tollit ad libationem, tertia manu ſpeculum opponit deae praeſenti. Materfamilias, ante aram ſedens, filio togato placentam offert, ante Lares ſuſpendendam.

Tab. CXI. Idem. Ara media candelabri forma adſurgit.

Tab. CXII. Lar Samnitico cultu armatus apparet, galea, duabus pennis inſignita, et breui ſagulo conſpicuus. Supra frontem Larundae conſpicitur pecten, deae votiuus.

Tab. CXIII. et CXIV. Matronae ſacrum parantes.

Tab. CXV. Sacra genio tironis peracta, cum togam ſumeret. Genio alato, ſedenti, matrona ramum felicis arboris offert, coronamque lemniſcatam.

Tab.

Tab. CXVI. CXVII. et CXVIII. Exempla virorum fortium adolescentibus proposita, cum togam adsumerent. Putat haec vasa, in quibus heroum et virorum fortium facinora expressa sunt, tironibus donata fuisse, vt aemulatione incenderentur animi. In altero apparet Hercules, adstante Minerua et clauam eius tenente, Iphitum, Centaurum, a terra sublatum, suffocans. In altero videmus virum barbarum ex Arimaspiis, cum Grypho pugnantem.

Classis X. Initia Bacchi.

Tab. CXIX. Principium Orgiorum. Bacchus, ramum stringens, cum situla, ad adspersiones exsequendas, initiatur fonti: mulier antistes sedet cum flabello, cistam sacram oculis obuertens.

Tab. CXX. et CXXI. Idem argumentum.

Tab. CXXII. CXXIII. et CXXIV. Initia Bacchi. Singularis hinc ritus discitur, quo adolescentes ad mysteria Bacchi admittebantur. Post balneum sacrificium offerebant, hirco aut agnis iugu-

 latis,

latis, quorum pellibus tegebantur tirones. (v. *Euripid.* in *Bacch.* 176.)

Tab. CXXV. et CXXVI. Bacchi antiſtita cum Satyriſco. Sedet illa ſuper ciſta, in qua arcana ſupellex repoſita eſt, et Satyrico adſtanti myſteria exponit. In altera parte illa, crinibus erectis, quaſi ſtupens, ciſtam ſupra caput iuuenis, ad pedes procumbentis, attollit.

Tab. CXXVII. et CXXVIII. Idem argumentum. Fauno attonito teſſeram quandam offert Sacerdos, quae cordis imaginem refert, veluti pignus religionis.

Tab. CXXIX. et CXXX. Idem argumentum. Baccha, Faunum inſtituens, ſiniſtra manu crepitaculum attollit, longo manubrio inſtructum, et duabus anſis munitum, minutis tintinnabulis ab omni parte ſuſpenſis, pompamque indicit: dextera adtollit lancem, qua tria poma habet.

Claſſis XI. Sacra deae Liberae.

Tab. CXXXI — CXXXIV. Bacchae furentes. In prima pictura Baccha induta

duta eſt ſupra tunicam triplici tunicula tenuiſſima, ob myſticum numerum.

Tab. CXXXV — CXXXXIX. Idem argumentum. In vna tabula dea Libera, ſedens, quatuor globulos e manu, veluti talos, in altum proiicit. In vltima geminae ex Bacchi comitibus nudae ſibi occurrunt, cornua potoria comparantes, quibus potiſſimum vtebantur in his ſacris, more antiquo, praecipue ob Bacchum, cui cornua tribuebant.

Tab. CXL. et CXLI. Idem. Sedet ante aram Dea Libera, cingulo gemmato conſpicua; manu ſuſtinet haſtam Bacchicam, cui corona lemniſcata imminet, loco nucis pineae, ad ſupremae dignitatis oſtentationem. A tergo accedit pari cultu ornata Fortuna, ſcalam, ſingulare ſymbolum, proferens, et ſiniſtra vittam ſacram, in tres ſinus expanſam, ſuſtinet. In altera tabula ſedet antiſtes, libam attollens in cratere, vnde duae pyramides, quas etiam Clemens Alex. inter ſecreta ciſtarum refert, exſiliunt, et excipiens Baccham, cum face ardente accedentem. Terni flores

dum e pariete pendent, rursus mystici numeri rationem intelligimus.

Tab. CXLII. et CXLIII. Sedet dea Libera, seminuda, passis crinibus, frondentem thyrsum sustinens: tum lancem attollit, duobus pomulis refertam. Totidem defert Baccha in disco: tria vero in alia arcula apparent. "Ternarius, inquit Vir Cl. numerus ad Trieterica spectat, quaternarius vero, in hac tabula diuisus in duas partes, integer vero in Tab. CXXXVIII., si diuinare licet, ad gradus caeremoniae, et, vt ita dicam, ad sectiones totius pompae pertinet."

CXLIV. Baccha in lectisternio. Seminuda tigridis pelli incumbit. Faunus facem attollit; ministra coronam et lancem cum vuis adfert, alius Faunus tibias pares inflat.

Tab. CXLV. Bacchae sacra facientes. Ad aram accedit mulier tunicata cum situla, speculum oculis opponens, ne quid occurrat, quod intentum sacris animum perturbet. Mos hic in Bacchi sa-

cris obseruabatur, vt accedentes ad sacra secretiora faciei vel pateram, vel speculum, aut cribrum aut aliud quidquam obuerterent, ne, deo adueniente, illum intuerentur. Hoc ex multis vasorum picturis intelligitur.

Tab. CXLVI. Satyrus et Baccha.

Tab. CXLVII. — CXLIX. Fauni cum Bacchis ludentes.

Classis XII. Cultus Bacchi.

Tab. CL. Bacchus senex in lectisternio. senilem vultum praefert, vt apud Etruscos semper. Notandus locus Macrobii, (*Saturn.* I, 18.) *Liberi Patris simulacra partim puerili aetate, partim iuuenili fingunt, praeterea barbata specie senili, vt in Campania Neapolitani celebrant, Hebona nominantes.*

Tab. CLI. Bacchus et Baccha. Bacchos et Bacchas putat Vir Cl. in his picturis referre Sacrorum antistites et pompae coryphaeos, qui vestibus, vultu, incessu, Liberum et Liberam exprimebant. Habet pictura parergon, Faunum procacem, fugientem Nympham impudice

pro-

prosequentem; quae imago in Bacchanalibus saepe occurit.

Tab. *CLII.* Bacchi antistes coronatus. Geminae Bacchi antistites, prouectiores, diffusis crinibus, linteo sacro circa dorsum et bracchio obuelatae, Regi sacrorum, omnibus insignibus Bacchicis ornato, coronam hederaceam imponunt. Vestis illius stellis consperfa est.

Tab. *CLIII.* Bacchi antistes ouans. Equo vehitur; cothurnos gerit.

Tab. *CLIV.* Bacchus alatus cum sacerdote.

Tab. *CLV.* Bacchus cum noctua: addita, vt Auctor putat, ob studium tenebrarum, quas Bacchus ob verecundiam amauerit, illa vero necessitate indolis. [Credo potius equidem, ad indicandam sapientem vsum vitae, aut ad hilaritatem prudentia temperandam.] In inferiore parte Panes insectantur Nympham Eccho.

Tab. *CLVI.* Indictio Bacchanaliorum. Bacchus senex et coronatus sceptrum attollit

tollit tornatile, longe diuersum a thyrso, quo, veluti signo dato, pompam Bacchicam mouet, emittitque e Sacrario iuuenem, qui musicis numeris pompam indicat. Hic inuolutam velo sacro auiculam praefert: picam existimat Auctor: nam haec ob garrulitatem Baccho admodum grata fuit.

Tab. CLVII. Bacchus osculans Baccham. ille sub vite sedet: adstant et plaudunt duo comites, Ampelus fortasse et Acratus.

Tab. CLVIII. Concentus musicus.

Classis XIII. Processus et Pompae Bacchicae.

Tab. CLIX.—CLXII. Tripudia et concentus Bacchici. Faunus cothurnatus inter geminas Bacchas, oestro correptas, tripudiat. — Thyrsis praefixa est lamella perforata, sicut crates, per quam, veluti per rimulas, conspiciebant interiores caeremonias. — Silenorum vnus attollit malum punicum. nam haec mal[illegible] arcanam supellectilem mysticae cistae pertinebant.

Tab. CLXIII. Proceſſus Bacchicus: Bacchantes omnes velo ſacro cooperti ſunt, nec interſunt Fauni aut Satyri. "Sunt enim, Vir Cl. inquit, ex ſuperiore, tertioque ac intimo coetu Silenorum, quos iam ex omni labe perfectos Numen impleuerat.

Tab. CLXIV. et CLXV. Fabulae theatrales in Bacchanalibus.

Tab. CLXVI. et CLXVII. Bacchi triumphus de Indis. Bacchi milites Thebana, hoc eſt, patria galea, armati ſunt, et ſcuto Argolico; Indi vero gemmatis pictisque ſagulis refulgent. Bacchus cum Libera, ſpoliis Indorum vndequaque ornatus, triumphum agit, quadriiugo curru inuectus.

Tab. CLXVIII. Bacchanalia ruſtica. Moriones inter foeminas nudi ſaltant. Mulierem quoque, phallum ineuntem, contemplamur, neſcio an alibi depictam.

Tab. CLXIX. et CLXX. Bacchanalia. Bacchus barbatus procedit inter

Faunos,

Faunos, vitem bifidam et cantharum gerens, indutusque crocota amplissima. — Mulier stolata tetrico incessu arcanum aliquid velatum attollit, quasi quod nudis oculis videre nefas esset, forte phallum.

Tab. CLXXI. Bacchus tridentifer. Bacchos quoque interdum hastas habuisse e Statio patet: *trifidamque huc tristis et illuc Numine sanguineo pinum deiectat.* Immo in *Dempsteri Etrur. Reg. Tab. III.* Bacchus trifido fulmine armatus apparet.

Tab. CLXXII. Bacchanalia cum capro; cuius sacrificium Bacchus exspectat.

Tab. CLXXIII. Processus Bacchicus. Iuuenis nudus serpentem constrictum sinistra (nam hac manu angues capiendi erant) ad aram adfert. Notum est, in mysteriis Bacchi partes non infimas fuisse serpentum.

Tab. CLXXIV. Dimissio Bacchanaliorum. Vt initia exordiebantur a laua-

tione,

tione, ſic, illis abſolutis, noua corporis lotio adhibenda erat. Itaque Bacchus in hoc vaſe apparet, qui, ſacris abſolutis, inter miniſtros balnearios lotus ſtrigili perfricatur.

Tab. CLXXV. Bacchus cum diis domeſticis. Ille ſedens nudus in ſella pantheriſcum recens natum bracchio ſuſtinet, et fouet.

Claſſis XIV. Militia Etruſcorum. Quemadmodum Vir Cl. omnes humanae vitae actiones ſymbolice ab Etruſcis exhibitas fuiſſe dixit, deorum imaginibus adhibitis, ſic quoque ad militiam exprimendam Larum effigies eos ſumſiſſe dicit.

Tab. CLXXVI. Larum expeditio militaris et res Bacchica. In altera vaſis parte, quae res Bacchicas, ſat imprudenter additas, habet, ſectio circuli clauis diſtincti pars Calendarii eſt, quae totidem infixis ſignis menſem oſtendit, quo Bacchanalia recurrebant.

Tab. CLXXVII. Laris expeditio. Ille lancea armatus, parazonio et calceis com-

commeatum petit a deabus domesticis, Vesta sedente, quae, moerorem significans, vultum operit speculo, dum Larunda illi cibum patera porrigit. — Superior pars rursus ad Bacchanalia pertinet. Notanda est matrona, ad aram accedens, sinistro pede suspenso, vt vix digitis dextri insistat: Martialis XII, 78.

Multis dum precibus Iouem salutat,
Stans summos resupinus vsque in vngues.

Tab. CLXXVIII. *et* CLXXIX. Lares pugnantes.

Tab. CLXXX. Triumphus post bellum. Triumphator, depositis militaribus ornamentis, pacificatoris habitu contentus curru vehitur. Praeter Lares hostilios praecedit inter equos vir barbatus, tunicula florea indutus, galero conspicuus, insignibus cornibus instructo. Acute Vir Cl. illum arbitratur esse vnum e Satyris laruatis, qui e veteri instituto triumphum comitabantur ad risum et laetitiam prouocandam.

Tab. CLXXXI. Ouatio. In hac tabula signa militaria Etruscorum appa-

rent; haſtilia, quibus aquila, contractis alis, inſidet: ob Iouem, vt Auctor putat.

Tab. CLXXXII. — CLXXXV. Sacrum triumphale. Sacraria apparent varia, quorum in vno clypeus, gladius et pileus, arma deo conſecrata, ſuſpenſa ſunt.

Tab. CLXXXVI. Lar victor. Larunda tenet placentam, vmbilicis ſiue pyramidulis, exaſperatam. Anſer ad eius pedes, animal omnino domeſticum, deae domeſticae maxime conuenit.

Tab. CLXXXVII. *et* CLXXXVIII. Lares in Bacchanalibus. Vnus Larium ciſtulam quadratam eleuat, in cuius operculo ſemiaperto ſerpens orgius depictus eſt.

Tab. CLXXXIX. Lar in ſacello. Tabella, ante Larem ſuffixa, titulum indicat religioſum, et fortaſſe votum pro victoria perſolutum.

Tab. CXC. et CXCI. Idem argumentum. Lar redux excipitur in Sacello cum equo, qui fronte palmulam habet, signum victoriae.

Tab. CXCII. et CXCIII. Idem. Lar vialis pacatus sedet in cellula, detractamque galeam in pariete suspendit. In posteriore parte ara conspicitur, tribus laneis sertis praecincta: Propertius IV, 6, 6.

Costum molle date et blandi mihi thuris honores,
Terque focum circa laneus orbis eat.

Tab. CXCIV.—CXCVIII. Idem. In vno vigilat Lar in sacello, redux e bello, hastae innixus, clypeum deponens. Gratulabundae ad ipsum accedunt quatuor deae, cum flabello, laeuo pede suspenso.

Tab. CXCIX. Lar et Larunda. Lar barbatus, barbarica ornatus veste, hostibus detracta, nudoque gladio exsultat. Larunda pari cultu illum excipit, Inprimis notandum est, parietem to-

tum imaginibus auricularum plenum esse. Ait vero Vir Cl. se saepe in gemmis aures obseruasse, multasque ex argilla fictiles erutas fuisse in luco sacro Iunonis apud Veios. Scilicet aures ad donaria, diis oblata, pertinent. Egregie hoc confirmatur titulo antiquo apud Gruterum: (p. 1067. n. 1.)

MINERVAE. AVG
L. CALLIDIVS. PRIMVS
BRIXELLANVS. EX. ARG
LIB. II. ITEM. L. CALLIDIVS
PRIMVS. AVRES. ARGENTEAS
V. S. L. M.

Pars vasis auersa Nessum exhibet, Deianiram humero transuehentem.

Tab. CC. Venatio. nam inter spectacula triumphalia, quae populo exhibebantur, etiam venatio censebatur.

Haec de picturis, quas vtrumque volumen continet. Sunt minora quoque ornamenta interdum aptis locis proposita. Sed de his nihil diximus. Fortasse in sequentibus voluminibus (nam, nisi fallit coniectura, duo triaue volu-

mina restant) eorum quoque interpretationem edet. Nos vero nunc sententiam dicemus nostram de toto opere, sic, vt et de vniuerso hoc monimentorum antiquorum genere ratione aliquid dicamus, tum, quid de ratione, quam in illis euulgandis et explicandis *Passerius*, Vir Cl. secutus est, sentiamus, libere addamus. Mirifice enim laetamur hoc opere edito; fauemus nomini et studio *Passerii*, viri doctissimi, pluribusque libris editis, atque etiam nuper euulgatis egregiis Dempsteriani operis supplementis (*) gloriam magnam consecuti, ideoque lubenter in argumento iucundissimo moramur.

Iam primum, quod ad haec vasa attinet, magni sane ea sunt facienda, siue, quam in multis rebus antiquitati adferant, lucem consideres, siue spectes artis, quae ea perfecit, praestantiam. Argumentorum est in iis summa varietas, atque hinc, cum ad veteris Etruriae hi-

 storiam

(*) *Io. Bapt. Passerii, Pisaurensis, Nobilis Eugubini, in Th. Dempsteri libros de Etruria regali Paralipomena.* Luccae, 1767. fol.

fociam abundum pauca in libris antiquis reperiuntur, Etruriae tamen sententias, animos, ritus, mores, religionem patet inde discere. Videmus inprimis, his vasis antiquis, quanta aviditate susceperint Etrusci fabulas Graecorum, praesertim Iliadis Troianae historiam. Invenimus tamen inscriptiones quoque, quasdam nominibus expressas fuisse hanc Graecorum traditionem in Etruria, atque inter Romanos, inter Graecam originem probant, expressas tamen fuisse diversa in nominibus specie. Quid? quod, dum vasculorum, in his vasis expressos, contemplamur, cognoscimus imagines morum et rituum antiquissimorum, quos apud Romanos viguisse constat. Multo vero magis in oculos incurrit horum vasorum pulchritudo, si spectes artificium. Quare etiam merito illa celebravit copiose et magnifice Winckelmannus, nuper noster, hac Campaniae et Graeciae, quam Etruriae ea tribuere mallet (*). Primum enim forma et venustas non solum summa, sed etiam varietas gratissima.

(*) *Geschichte der Kunst des Alterthums.* p. 118. et *Anmerkungen über die Geschichte d. K.* p. 19. seqq.

ma. Tum picturae ipsae ostentant manus sane peritissimas. Figurae vigorem praeferunt et spiritum: viuere videntur et spirare: affectuum est veritas, eaque sapienter temperata: in vestibus natura ipsa rugas videtur disposuisse: adeo nihil est, quod durum sit, quod coactum, quod naturae repugnet: dispositio totius argumenti docta est: collocatis figuris principibus in loco primario, oculosque spectantium in se convertentibus, reliquis apte subiunctis. Figurarum status sunt probi: quibusdam incredibilis Venus inest. Vno verbo, lineae sunt venustae, probae, ductae incredibili celeritate. Quodsi enim cogites vasorum horum rationem, quomodo pingi deberent, si reputes, nil potuisse corrigi, quod semel pictum esset, facile intelliges, exercitatissimam atque velocissimam esse debuisse artificum, qui haec vasa pingerent, manum. Quare putamus, haec vasa esse documenta picturae veteris pulcherrima et certissima, quorum inprimis rationem habere iubemus eos, qui de arte veterum pictorum disputant. Neque enim alia monimenta aut arte aut numero cum iis

ſtoriam admodum pauca in libris antiquis occurrant, Etruriae tamen ſententias, fabulas, ritus, mores, religionem inde licet diſcere. Videmus inprimis, his vaſis cognitis, quanta alacritate ſuſceperint Etruſci fabulas Graecorum, praeſertim belli Troiani hiſtoriam. Interim tamen obſeruamus quoque, quasdam mutationes expertam fuiſſe hanc Graecorum doctrinam in Etruria, atque adeo fabulas, licet Graecam originem prodant, expreſſas tamen fuiſſe diuerſa in nonnullis ſpecie. Quid? quod, dum varios ritus, in his vaſis exhibitos, contemplamur, originem inuenimus morum et rituum quorundam, quos apud Romanos viguiſſe conſtat. Multo vero magis in oculos incurrit horum vaſorum praeſtantia, ſi ſpectes artificium. Quare etiam merito illa celebrauit copioſe et magnifice Winkelmannus, nuper noſter, licet Campaniae et Graeciae, quam Etruriae ea tribuere malit (*). Primum enim forma et venuſtas non ſolum ſumma, ſed etiam varietas gratiſſima.

(*) *Geſchichte der Kunſt des Alterthums.* p. 118. et *Anmerkungen über die Geſchichte d. K.* p. 19. ſequ.

ma. Tum picturae ipſae oſtentant manus ſane peritiſſimas. Figurae vigorem praeferunt et ſpiritum: viuere videntur et ſpirare: affectuum eſt veritas, eaque ſapienter temperata: in veſtibus natura ipſa rugas videtur diſpoſuiſſe: adeo nihil eſt, quod durum ſit, quod coactum, quod naturae repugnet: diſpoſitio totius argumenti docta eſt: collocatis figuris principibus in loco primario, oculosque ſpectantium in ſe convertentibus, reliquis apte ſubiunctis. Figurarum ſtatus ſunt probi: quibusdam incredibilis Venus ineſt. Vno verbo, lineae ſunt venuſtae, probae, ductae incredibili celeritate. Quodſi enim cogites vaſorum horum rationem, quomodo pingi deberent, ſi reputes, nil potuiſſe corrigi, quod ſemel pictum eſſet, facile intelliges, exercitatiſſimam atque velociſſimam eſſe debuiſſe artificum, qui haec vaſa pingerent, manum. Quare putamus, haec vaſa eſſe documenta picturae veteris pulcherrima et certiſſima, quorum inprimis rationem habere iubemus eos, qui de arte veterum pictorum diſputant. Neque enim alia monimenta aut arte aut numero cum iis

comparari possunt. Miracula artis veteris dixeris haec vasa. Loquimur, vt quisque intelligit, non de omnibus, (nam in quibusdam infantiam artis deprehendimus) sed de optimis.

Neque vero haec Passeriana collectio, licet numero multa vasa contineat, vnice est commemoranda. Vt praetereamus vasa, a Gorio, a Montefalconio, Buonarotto, nuper a Winkelmanno euulgata, laudibus summis extollenda est collectio Etruscorum vasorum Hamiltoniana. Hamiltonianam eam appellamus, quia haec vasa ornant Museum *Hamiltonii*, Britanniae ad aulam Neapolitanam legati. Is haec vasa euulganda concessit *Petro Hancarvillio*, equiti, cuius opera duo iam volumina prodierunt, duo alia exspectantur (*). Quo quidem in opere, licet, si examines

(*) *Collection of Etruscian, Greek and Roman Antiquities, from the Cabinet of the Hon. Wm. Hamilton, his Britannick Majesty's Envoy extraordinary at the Court of Naples.* Neapoli, fol. maior. Vol. I. 1766. pagg. 196. tab. aen. CXXX. Vol. II. pagg. 168. tab. aen. CXXX.

nes sententias editoris, eruditionem desideres accuratam frequenter, pulcherrimorum tamen vasorum habes insignem copiam, quae eo magis delectat et iuuat, quo accuratiore studio vasa quaeque, suis coloribus illustrata, nobis ante oculos posita sunt.'

Sed de hoc opere loquemur forte alio tempore. Dicenda sunt nonnulla de Passeriano opere.

Passerius igitur exhibuit haec vasa suis coloribus. Figurae vero in area nigricante colore nitent rubricoso, modo illo viuidiore, modo tenuiore: extremis lineis membrorum et rugarum colore nigro expressis. Si subtiliter rem cum Winkelmanno describere velis, dicendum est: figurarum colorem nullum esse alium quam vasorum, quam argillae in foco collocatae: aream vero, siue spatium inter figuras, nigricante colore esse expletam. Pertinent igitur hae picturae ad illas, quae Graecis μονοχρώματα dictae. De hac re Vir Cl. in *Dissert.* IV. pag. 65. sic dicit. "Est et aliud, ex quo picturae Etruscae excellentiam

lentiam admiremur, difficultas nempe, in qua Professores versabantur, qui sine coloris varietate et sine auxilio lucis et vmbrae audacter extemporanea circumlitione imagines educebant; nam colorum varietas, praeterquam quod multum oculis imponit, maximi auxilii est ad picturae partes segregandas, praesertim vbi in actionibus actuosis multae simul imagines glomerantur, atque superponuntur, quum ad singulas in propriis actionibus discernendas maximo ingenio et artis peritia opus sit, vbi vnico tantum atramento res agitur, quam contra, vbi multiplex color in vsu est, diuersitate tincturae figurae singulae in ipsamet massa conglobatae facillime discernuntur. Hoc genus picturae aliquid etiam auxilii sortitur a diuerso tincturae gradu, cuius dilutiore lineamento corpora a corporibus disgregantur et remouentur. At nostri pictores in summo artis periculo versari voluerunt et fidentissime vnico tantum et spisso colore contenti, nec vel minimum attenuato globos illos imaginum complexi sunt, vt vnaquaeque, etsi modica sui parte conspicua, actionem exprimat, atque passionem, quin ab

aliorum

aliorum formula confundatur. Vno terrae colore natiuo, qui carneus est, retento, atque nigro adiecto, per quandam artis fiduciam audenter pingere praetulerunt." Is, qui laminis aeneis vasa insculpsit, res suas bene egit, quantum iudicare licet illi, qui non ipsa vasa adspexit. Certe diuersam manuum rationem obseruatam ab illo fuisse videmus. Cuiusque vasis tota forma exhibetur: tum dantur imagines, quas illa praefert. Interdum plures tabulae vnum vas habent.

Quod vero attinet ad Viri Cl. interpretationes, ingenue fatemur, nos illius acumen admiratos esse. Quantum difficultatis adiunctum habeat haec interpretatio, facile intelliget, qui historiae Etruscae inopiam consideret. Sed vel scintilla exigua lucis viam nostro aperit atque ostendit. Quam apte ille vsus est Liuii loco (L. XXXIX. cap. 9.) de Bacchanalibus, ex Hetruria ortis Romaeque et vniuersae Italiae traditis ad multas picturas explicandas. Nos non negamus, in quibusdam non satis certas nobis videri opiniones Viri Cl. atque quasdam imagi-

ſtoriam admodum pauca in libris antiquis occurrant, Etruriae tamen ſententias, fabulas, ritus, mores, religionem inde licet diſcere. Videmus inprimis, his vaſis cognitis, quanta alacritate ſuſceperint Etruſci fabulas Graecorum, praeſertim belli Troiani hiſtoriam. Interim tamen obſeruamus quoque, quasdam mutationes expertam fuiſſe hanc Graecorum doctrinam in Etruria, atque adeo fabulas, licet Graecam originem prodant, expreſſas tamen fuiſſe diuerſa in nonnullis ſpecie. Quid? quod, dum varios ritus, in his vaſis exhibitos, contemplamur, originem inuenimus morum et rituum quorundam, quos apud Romanos viguiſſe conſtat. Multo vero magis in oculos incurrit horum vaſorum praeſtantia, ſi ſpectes artificium. Quare etiam merito illa celebrauit copioſe et magnifice Winkelmannus, nuper noſter, licet Campaniae et Graeciae, quam Etruriae ea tribuere malit (*). Primum enim forma et venuſtas non ſolum ſumma, ſed etiam varietas gratiſſima.

(*) *Geſchichte der Kunſt des Alterthums.* p. 118. et *Anmerkungen über die Geſchichte d. K.* p. 19. ſequ.

ma. Tum picturae ipsae ostentant manus sane peritissimas. Figurae vigorem praeferunt et spiritum: viuere videntur et spirare: affectuum est veritas, eaque sapienter temperata: in vestibus natura ipsa rugas videtur disposuisse: adeo nihil est, quod durum sit, quod coactum, quod naturae repugnet: dispositio totius argumenti docta est: collocatis figuris principibus in loco primario, oculosque spectantium in se convertentibus, reliquis apte subiunctis. Figurarum status sunt probi: quibusdam incredibilis Venus inest. Vno verbo, lineae sunt venustae, probae, ductae incredibili celeritate. Quodsi enim cogites vasorum horum rationem, quomodo pingi deberent, si reputes, nil potuisse corrigi, quod semel pictum esset, facile intelliges, exercitatissimam atque velocissimam esse debuisse artificum, qui haec vasa pingerent, manum. Quare putamus, haec vasa esse documenta picturae veteris pulcherrima et certissima, quorum inprimis rationem habere iubemus eos, qui de arte veterum pictorum disputant. Neque enim alia monimenta aut arte aut numero cum iis

comparari possunt. Miracula artis veteris dixeris haec vasa. Loquimur, vt quisque intelligit, non de omnibus, (nam in quibusdam infantiam artis deprehendimus) sed de optimis.

Neque vero haec Passeriana collectio, licet numero multa vasa contineat, vnice est commemoranda. Vt praetereamus vasa, a Gorio, a Montefalconio, Buonarotto, nuper a Winkelmanno euulgata, laudibus summis extollenda est collectio Etruscorum vasorum Hamiltoniana. Hamiltonianam eam appellamus, quia haec vasa ornant Museum *Hamiltonii*, Britanniae ad aulam Neapolitanam legati. Is haec vasa euulganda concessit *Petro Hancarvillio*, equiti, cuius opera duo iam volumina prodierunt, duo alia exspectantur (*). Quo quidem in opere, licet, si exami-nes

(*) *Collection of Etruscian, Greek and Roman Antiquities, from the Cabinet of the Hon. Wm. Hamilton, his Britannick Majesty's Envoy extraordinary at the Court of Naples.* Neapoli, fol. maior. Vol. I. 1766. pagg. 196. tab. aen. CXXX. Vol. II. pagg. 168. tab. aen. CXXX.

nes sententias editoris, eruditionem desideres accuratam frequenter, pulcherrimorum tamen vasorum habes insignem copiam, quae eo magis delectat et iuuat, quo accuratiore studio vasa quaeque, suis coloribus illustrata, nobis ante oculos posita sunt.'

Sed de hoc opere loquemur forte alio tempore. Dicenda sunt nonnulla de Passeriano opere.

Passerius igitur exhibuit haec vasa suis coloribus. Figurae vero in area nigricante colore nitent rubricoso, modo illo viuidiore, modo tenuiore: extremis lineis membrorum et rugarum colore nigro expressis.' Si subtiliter rem cum Winkelmanno describere velis, dicendum est: figurarum colorem nullum esse alium quam vasorum, quam argillae in foco collocatae: aream vero, siue spatium inter figuras, nigricante colore esse expletam. Pertinent igitur hae picturae ad illas, quae Graecis μονοχρώματα dictae. De hac re Vir Cl. in *Dissert.* IV. pag. 65. sic dicit. "Est et aliud, ex quo picturae Etruscae excel-

 lentiam

lentiam admiremur, difficultas nempe, in qua Professores versabantur, qui sine coloris varietate et sine auxilio lucis et vmbrae audacter extemporanea circumlitione imagines educebant; nam colorum varietas, praeterquam quod multum oculis imponit, maximi auxilii est ad picturae partes segregandas, praesertim vbi in actionibus actuosis multae simul imagines glomerantur, atque superponuntur, quum ad singulas in propriis actionibus discernendas maximo ingenio et artis peritia opus sit, vbi vnico tantum atramento res agitur, quam contra, vbi multiplex color in vsu est, diuersitate tincturae figurae singulae in ipsamet massa conglobatae facillime discernuntur. Hoc genus picturae aliquid etiam auxilii sortitur a diuerso tincturae gradu, cuius dilutiore lineamento corpora a corporibus disgregantur et remouentur. At nostri pictores in summo artis periculo versari voluerunt et fidentissime vnico tantum et spisso colore contenti, nec vel minimum attenuato globos illos imaginum complexi sunt, vt vnaquaeque, etsi modica sui parte conspicua, actionem exprimat, atque passionem, quin ab

aliorum

aliorum formula confundatur. Vno terrae colore natiuo, qui carneus est, retento, atque nigro adiecto, per quandam artis fiduciam audenter pingere praetulerunt." Is, qui laminis aeneis vasa insculpsit, res suas bene egit, quantum iudicare licet illi, qui non ipsa vasa adspexit. Certe diuersam manuum rationem obseruatam ab illo fuisse videmus. Cuiusque vasis tota forma exhibetur: tum dantur imagines, quas illa praefert. Interdum plures tabulae vnum vas habent.

Quod vero attinet ad Viri Cl. interpretationes, ingenue fatemur, nos illius acumen admiratos esse. Quantum difficultatis adiunctum habeat haec interpretatio, facile intelliget, qui historiae Etruscae inopiam consideret. Sed vel scintilla exigua lucis viam nostro aperit atque ostendit. Quam apte ille vsus est Liuii loco (L. XXXIX. cap. 9.) de Bacchanalibus, ex Hetruria ortis Romaeque et vniuersae Italiae traditis ad multas picturas explicandas. Nos non negamus, in quibusdam non satis certas nobis videri opiniones Viri Cl. atque quasdam imagi-

imagines non minori iure ad alia referri posse, quam ab illo factum est. Sed haec aliaque facile emendari et illustrari poterunt, posteaquam fundamenta interpretationis a Nostro iacta sunt. Ille quasi ordinem, quo collocanda sunt haec vasa, inuenit, collegitque quam plurima, quae aliorum explicationi inseruiant. Iterum dico; acumen *Passerii*, doctrinam reconditam, mentis solertiam admirandi iucundam occasionem saepe nobis datam esse recordamur.

CON-

CONSPECTVS LIBRORVM
QVORVM CENSVRAE
VOLVMINIS VI. PARTE II.
CONTINENTVR.

I. Disquiſitiones Plinianae, in quibus de vtriusque Plinii patria, rebus geſtis, ſcriptis, codicibus, editionibus atque interpretibus agitur, auctore Antonio Ioſeph Comite a Turre Rezzonici, Patricio et I. C. C. Nouocomenſe, in Parmenſi legione tribuno militum, Equite ordinis ſancti Iacobi, Philippi, Sereniſſ. Regiique Hiſpaniarum Infantis etc. honorario Coſmeta. - pag. 135

II. De ſolis ac lunae defectibus Libri V. Rogerii Ioſephi Boſcouich, Societ. Ieſu, ad Regiam Societatem Londinenſem. Ibidem autem et Aſtronomiae Synopſis, et Theoria Luminis Newtoniana, et alia multa ad Phyſicam pertinentia, verſibus pertractantur; cum eiusdem auctoris adnotationibus. - 148

III. Ionian Antiquities publiſhed with Permiſſion of the Society of Dilettanti by R. *Chandler*, M. A. F. S. A. *Reuett*, Architect, W. *Pars*, Painter. - 178

IV. Glossarium Suio-Gothicum, in quo tam hodierno vsu frequentata vocabula, quam in legum patriarum tabulis aliisque aeui medii scriptis obuia explicantur, et ex dialectis cognatis, Moesogothica, Anglo Saxonica, Alemannica, Islandica, ceterisque Gothicae et Celticae originis illustrantur. Auctore *Iohanne Ihre.* - - p. 185

V. Historia et Commentationes Academiae Electoralis Scientiarum et Elegantiarum Litterarum Theodoro-Palatinae. - - - - 203

VI. Picturae Etruscorum in vasculis, nunc primum in vnum collectae, explicationibus et dissertationibus illustratae a *Ioh. Baptista Passerio*, Nob. Pisaur. Regiar. Academiarum Londinens. Olomucenses, et Italicarum Furfuratorum, Bononiensis, Cortonensis, Panormitanae Ferrariensis, ac Perusinae Socio, *Vol. Primum* tabulas C. continens, aeri insculptas. et *Vol. Secundum.* tab. C. continens. - 211

ACTA
LITTERARIA.

SCRIPSIT
CHRIST. ADOLPHVS KLOTZIVS

— *Librum, si malus est, nequeo laudare.*
IVVENAL.



VOLVMINIS VI. PARS III.

ALTENBVRGI
EX OFFICINA RICHTERIA.
CIↃ IↃ CCLXXI.



I.

A Description of the Antiquities and Curiosities in Wilton-House. Illustrated with twenty-five Engravings of some of the Capital Statues, etc. by *James Kennedy*.

Salisburiae, exc. E. Easton. 1769. pagg. 117. tab. aen. 25. 4. mai.

Dicemus primum de huius libri argumento: tum Musei Pembrockiani historiam et diuitias attingemus: denique monimenta antiqua, quae in tabulis additis exhibentur, recensebimus.

Ab eodem, cuius nomen supra posuimus, Auctore edita fuit alio tempore Musei Pembrockiani descriptio (*).

T 2 Copio-

(*) *A new Description of the Pictures, Statues, Bustos, Bassorilievos, and other Curiosities at the Earl of Pembroke's House at Wilton. A new Edition by James Kennedy.* 1769. 8.

Copiosiorem continet hic liber, quem in manibus habemus. Nam et tabulae additae sunt, et adspersit nonnulla Auctor, quae ibi non reperiuntur, et prooemium (pagg. 38) praefixit. Neutro in opere nobis satisfecit. Parum descriptionis tenuitas splendori et famae clarissimi ornatissimique Musei respondet. Neque enim Auctor monimenta antiqua subtiliter satis et accurate descripsit: non de manibus et ingeniis artificum ita iudicauit, vt, qui oculos eruditos habent, iudicare solent: non, quae vere antiqua sint, quae ad antiquorum imitationem efficta, (quorum videtur non exiguus numerus esse) indicauit. Porro multa non solum narrauit, quae exiguam antiquitatis scientiam produnt, sed neque illius disputationes quidquam reconditi habent, multa satis nota et vbique obuia. Qui *litteras antiquarias* Sosiis vendere velit, is, si hanc descriptionem excutiat, non male sibi consulet. Non duo, sed decem volumina facili opera implebit reprehensionibus et obseruationibus, mehercle! doctis et egregiis, praesertim si muscis captandis, id est, notandis verbis, quae perperam ab auctore scripta, delectetur.

Interim

Interim vel ſic non iniucunda eſt narratio de illo artium templo, quo nec ſplendidius Anglia habet, et vix extra Italiae fines ornatius eſſe vllum puto.

Artium amor ad antiquam familiae Pembrockianae laudem pertinet. Inde ab Henrici VIII. tempore hoc ſtudium multis documentis illa declarauit. Muſei vero auctor et conditor fuit *Thomas*, Comes, litterarum artiumque ſtudioſiſſimus. Inſtruxit illud multis monimentis, e ſuppellectile antiqua Mazariniana, Richeliana, Iuſtinianea, Arundelliana, et Valettiana collectis. Ex his enim Muſeis, ſatis iis fama notis, qui has litteras amant, emendi ea, quae commoda et pulchra cenſeret; tum copiam habuit et opportunam occaſionem. Quo in negotio quam rationem ſecutus ſit, Auctor nobis in proemio commemorat, vſus in ea commemoranda ipſius, vt ait, litteris. Primum gemmas, et parua opera, quo pertinent larum et ſupellectilis domeſticae varietas, non collegit: tum neque plures vnius rei imagines adamauit, praeter deos, diuerſis ſignis ornatos aut diuerſa agentes: porro e ſignis Etruſcis et Aegyptiis numina elegit tantum ſumma

et notiſſima: praeter primae aetatis monimenta, optimis, optimoque aeuo aut proxima, nec aliena a praeſtantiſſimis exemplis aetate, confectis locum dedit: titulos antiquos, niſi aut hiſtoriae aut temporum rationi lucem accenderent, non coemit: denique imagines, os et ſumma pectoris exhibentes, maxime amauit: reiectis tamen iis, quae aut fractae eſſent aut capita penitus ignota praeferrent. Sic igitur ille egit, cuius poſteri non abiecerunt veluti haereditate acceptum antiquae elegantiae amorem. Hoc ſtudio factum eſt, vt Muſeum hoc ornent ſtatuae LVI. imaginesque CLXXIII. marmoreis terminis impoſitae, ne quid dicam de tot anaglyphis, aris, vaſis, ibi exſtantibus. Praeterea exhibet illud tabulas pictas CCL. ſummorum artificum manibus inſignes: praeſertim immortalia Vandykii opera hic oculos ad contemplandum inuitant.

Non vacat omnia recenſere, quae Auctor commemorauit, opera. Eſt enim illorum inſignis multitudo. Neque etiam facile fidem habemus Auctori, nobis perſuadere cupienti, duos Hermas, e marmore nigro, in palatio regum Perſicorum in Aegypto, atque

Iouem

Iouem Ammonem, cornubus arietinis, arietem humeris ferentem, olim in templo, a Sesostre in Thracia exstructo, fuisse. Nec credimus, illum, qui Marci Aurelii statuam equestrem fecit, ob huius operis praestantiam ad magnam illam et clarissimam Imperatoris statuam conflandam vocatum fuisse Athenis Romam. Peregrinantibus talia non iniucunde narrantur. In litteras eadem referre non decet. Quo iure *Cleomeni*, (duo artifices hoc nomine insigniti fuerunt, alter, Apollodori filius, Mediceae Veneris auctor, alter, qui Germanici statuam fecit, Cleomenem patrem habuit) (*), opera quaedam tribuantur, nescio. Tribuuntur tamen illi Euterpe, Amazon, Cupido, arcum frangens, et Faunus iuuenis.

Ara quaedam Bacchanalia profert, exstante opere, et titulum: Μελπωμεν Διονυσον αγλαομορφον βακχευτορα ξανθοκαρηνον. Litterae satis antiqua tempora redolent. — Apollinis statuae aliquot adsunt: modo arcus dependet a lauro: modo arcum manu tenet: modo lyram tripodi, quem serpens cingit, imposuit. — Bacchus iuuenis al-

(*) v. Winkelmanni *Hist. Art.* p. 389.

tera manu vuas tenet, alteram ramo imponit, quem ſerpens circumdat. — Herculis caput ampliſſimum (nam VII. pedes altitudo ſuperat) inter reliqua eminet. — Diana Epheſia caput, pedes, manusque ex atro marmore habet, reliquo corpore candida. Cupido, reuinctis manibus et mitra Phrygia conſpicuus, adeſt. Notauimus etiam Bacchum, papaueribus conſpicuum, ſtatuam Veneris, pede extrahentis ſpinam, Cleopatram, Caeſarionem vlnis geſtantem, ne quid dicam de columna alta, Roma, vbi ante Veneris Genitricis aedem ſteterat olim, aduecta et nunc in area palatii collocata. — Imagines adſunt permultae, Horatii, Platonis, Lucani, Sapphus, Epicuri, Homeri, Ciceronis, Iulii Caeſaris, aliorum. Inter illas eſt protome aenea, (olim in Muſeo Mareſchalli d'Etrées fuit, atque hinc a Montefalconio data (*)) cuius in baſi legitur: M. ΜΟΔΙΟϹ ΙΑΤΡΟϹ ΑϹΙΑ ΤΙΚΟϹ ΜΕΘΟΔΙΚΟϹ. Pectori duo verſus inſcripti ſunt. — Nec anaglyphorum eſt paruus numerus. Prae aliis memoranda eſt libatio a Mantheo

Ioui

(*) *Antiquit. Expliqu. Supplem.* Tom. III. tab. VIII.

Ioui oblata, addito titulo, antiquiſſimo ſcribendi genere exarato. βυςροφηδὸν appellant. — Vlyſſes cum comitibus in antro Calypſus. Vndecim homines et canem tabula habet. — Aliud opus, paruum et ſubtile, exhibet quatuordecim figuras et ſex equos. Apollinem oſtentat et Dianam, de Niobe et liberis poenas ſumentes. Immo in alia tabula eadem res exhibetur. Viginti illa homines et quinque equos offert. — Silenum ebrium pueri vinciunt, Aegle vero

Sanguineis frontem moris et tempora pingit.

Adeſt aſinus, et ſedecim conſpiciuntur figurae. — Inter ſarcophagos eſt ille clariſſimus, prope Athenas inuentus, qui inſtitutionem Eleuſiniorum exhibet et titulum: Θ. Κ. ΑΥΡΗΛΙΩ ΕΠΑΦΡΟΔΕΙΤΩ ΣΥΜΒΙΩ ΑΝΤΩΝΙΑ ΒΑΛΕΡΙΑ ΕΘΗΚΕ. In Muſeo Foucaulti olim fuit et a Montefalconio euulgatus (*). Maxime vero percuſſit animum vrna, hoc titulo ornata:

D. M.
HOR. FLACC. PIIS MAN.
PAMPH. MIN. FA FECIT.

(*) v. *Antiquit. Expliqu.* T. I. tab. 45.

Vrna apotheoſin poetae opere anaglyptico praefert. Gaudebam hoc titulo conſpecto et vix prae gaudio oculis fidem habebam. Sed deferbuit paullo poſt illius laetitiae aeſtus; cum legerem, litteras nonnullas recentiori aetate ſic eſſe ſuppletas, vt veſtigia antiqua ſuaſerint. Verendum eſt enim, ne fraudem fecerit reſtitutori ſemel conceptae animo opinionis amor.

Veniamus ad tabulas additas. Iam prodierunt alio tempore Muſei Pembrokiani quaedam ornamenta. *Numiſmata* euulgata ſunt, a. 1746. ſummo plauſu excepta a rei numariae ſtudioſis. Nam non ſolum inſignis eſt illorum numerus, ſed praeſtantia quoque ſingularis. Porro *Carry Creed* ſtatuas XL inſculpſit radio tabulis aeneis, earumque imagines euulgauit, licet deſiderent nonnulla reprehendantque in iis Critici. Ipſum vero hoc Muſeum etiam deſcripſit ſingulari libro a. 1751. *Richard Cowdry*, cuius libri Italica quoque verſio exſtat (*). Hae vero tabu-

lae,

(*) *Deſcrizione delle Pitture, Statue, Buſti e d'altre Curioſita eſiſtenti in Inghilterra a Wilton, nella villa di Myl. Conte di Pembroke, tradotta dall' Ingleſe.* Florentiae, 1754. 8.

lae, quas *I. A. Greſſe* non omnino contemnendo artificio perfecit, niſi quod manuum antiquarum imitationem neglexit, ſtatuas VIII. imagines XIII. et anaglypha opera IV. oculis exhibent. In appellatione capitum vnice ſequimur auctorem.

I. *Curtius* ſeſe in ſpecum immittens. *Cleomeni* tribuitur ab Auctore, qui illum dicit ideo a Polybio hiſtorico Romam arceſſitum eſſe. quod quibus argumentis adductus commemoret, ignorare me fateor. II. *Saturnus* iacens, falcem tenens: opus eſſe dicitur antiquiſſimi aeui. III. *Fauna*, quae infantulum pedi inſtantem tenet quaſi illum ſaltare docens. Haec ſunt anaglypha. Sequuntur ſtatuae. IV. *Aeſculapius*, ob veſtis elegantiam laudabilis. V. *Meleager*, membrorum perfectam conuenientiam conſenſumque oſtendens: VI. Protome *Neronis*, radiata corona cincti, VII. opus exſtans, e marmore vario compoſitum, (vt opera, quae dicuntur muſiua) habet *Herculem* ſedentem ad arborem Heſperiam: Aegle ante eum ſtat et ramum, tribus malis onuſtum, tenet. VIII. *Hercules* tria poma manu tenet,

tenet, clauamque erectam habet. IX. M. *Antonius* orator, manum nudam extendens. X. *Apollo.* XI. *Faunus* iuuenis, respiciens: infra panthera. XII. *Cupido* arcum frangens. XIII. *Auentini* protome. XIV. Protome *Apollonii Tyanei*, XV. *Semiramidis*, XVI. *Metelli*, torque aurea ornati et elephantum praeferentis in pectorali. XVI. iuuenis *Bacchus.* XVII. Anaglyphum, sed restitutum Mazarini cura, ostendens protomen *Pyrrhi.* Sequuntur imagines, humerotenus viros exhibentes, XIX. *M. Bruti*, XX. *Iulii, Caesaris*, XXI. *Dianae*, crinibus reuinctis, XXII. *Lucani*, poetae, XXIII. *Cassandrae*, filiae Priami, XXIV. *Prusiae*, XXV. *Alcibiadis.*

Quamquam iucundus fuit horum monimentorum adspectus, interdum tamen, quando in memoriam veniebant alia monimenta, ab Auctore commemorata, optare libuit, vt imagines nobis obtulisset alias. Quis enim non lubenter contempletur anaglypha, ab auctore non immerito, vt coniicimus, celebrata?

II.

II.

Memoria Gottfridi Mascouii, auctore I. L. E. Püttmanno: accedunt I. Barbeyracii, Chr. Gottl. Schwarzii, Ioh. Dau. Koeleri, Nicol. Hier. Gundlingii, Io. Gottl. Heineccii, Gottfr. Mascouii et Io. Gottl. Boehmii epistolae aliquot ineditae; nec non specimen manuscripti Graeci Eclogam legum continentis typisque nondum exscripti.

Lipsiae, ap. S. L. Crusium, 1771. pagg. 132. 8.

Placet pietas discipuli, *Püttmanni*, erga praeceptorem, *Mascouium*, eoque magis placet, quo dignior fuit *Mascovius*, qui *Püttmannum* discipulum haberet, quoque luculentius hic exemplo, sententiis, scriptisque magistri doctrinam et institutionem refert. Atque etiam ipsa haec narratio de *Mascouii* vita et libris non indigna est viri doctissimi nomine. Nam praeter insignem verecundiam et humanitatem, quam Musa *Püttmanniana* amat, quaeque omnium amorem facile colligit, in

indi-

iudicando scribendoque magna nos capit delectatque elegantia, ingeniique, quae se claris documentis prodit, singularis venustas.

Patriam habuit *Mascouius* Gedanum. ibi in lucem editus fuit superiore seculo, anno LXXXXIIX. In Gymnasio Gedanensi imbutus fuit iis artibus, quibus ad humanitatem aetas iuuenilis informari solet. Et habebat, quod sequeretur, illustre exemplum, fratrem natu maiorem, Ioannem Iacobum, qui in eadem schola exercitationibus oratoriis et poeticis fuerat vsus, ne orientalium quidem litterarum scientia neglecta. Mox peruenit Lipsiam, salutauitque illam Academiam, quae vna omnium maxime in Germania liberalioris doctrinae honore cultuque floruit semper atque etiam nunc floret. "Themidis, (vt
p. II. noster *Püttmannus* scribit) castra secuturus quam qui maxime seiunxit sententiam suam a stolida eorum opinione, qui, ab vltimis incipientes, cruda studia in forum propellunt, solique glossatorum sapientiae innutriti, nihil nisi practicas practicatas loquuntur, linguarum autem, philosophiae, historiae et antiquitatum cognitionem tanquam superua-

peruacuam, immo noxiam contemnunt. Hi quidem persuasi, haud bene conuenire, nec vna sede morari humanitatis et iurisprudentiae studia, eopte, quod, qui aliquam laudem in litteris humanioribus consecutus est, illum iurisprudentiae tractandae ineptum esse clamitant, haud absimiles illi vulpeculae, quae, vt in fabulis est, quo caudae sibi interceptae dedecus alieno cohonestaret exemplo, ceteras quoque vulpes cohortabatur, vt eam pariter sibi abscinderent. Longe aliter noster, qui, quemadmodum Xenocrates ei, qui neque Musica, neque Geometria, neque Astronomia instructus ludum frequentare volebat, dixisse fertur: *abi, ansas enim philosophiae non habes*, ita ipse illis, qui sine litteris humanioribus iurisprudentiae operam nauare cupiebant, acclamare solebat: abite, desunt enim vobis ansae iurisscientiae." Post quatuor annos causas in foro Lipsiensi orare coepit, nunquam tamen pristinis amoribus, Graecis Romanisque Camoenis, relictis. Et abhorrebat animus Mascouii vehementer a iurgiis clamosi fori. Abiit igitur Altorfium, ibique libellum *de sectis Sabinianorum et Proculianorum in iure ciuili* euulgauit.

Ibidem

Ibidem alio libello *de Procuratore Caesaris* edito honorum Academicorum primordia accepit. Inde rediit Lipsiam, atque, iam nomine quodam et fama ornatus, scholas aperuit. Valde fauebat *Mascouio* noster *Heineccius*, qui, cum in eo esset, vt e Franequerana Academia ad Francofurtanam discederet, illum curatoribus Academiae accurate commendauit. Sed parum haec commendatio profuit *Mascouio*, quia homines inepti nescio quid periculi ecclesiae a Lutheranis professoribus ominabantur. Scilicet alia putant iusta iniustaque, qui Caluinum auctorem sequuntur, quam qui Lutheri sententias profitentur! Neque tamen paullo post, eodem *Heineccio*, qui ingeniis et doctrinae, pro candore suo, mirifice fauebat, auctore, *Mascouius* munus Antecessoris in Academia Harderouicensi obtinuit. Ibi nactus fuit collegam *Pagenstecherum*, hominem, vt leuissime dicam, mirum, et hominum indoctorum fautorem egregium. Certe, cum
p. 18. *Mascouius*, vt par est, homini, honorem titulumque Doctoris, in Belgio magis etiam, quam in Germania nostra, venalem, non tam petituro, quam

numis

numis emturo quaeſtiones quasdam, doctrinae explorandae cauſa, proponere vellet, aegerrime hoc tulit *Pagenſtecherus*, cui illud, quod vulgo dicitur, *Sumimus pecuniam et mittimus* — arriſiſſe videtur. Gladiatorio enim animo manus cum *Maſcouio* conſerere voluit parumque abfuit, quin ad pugnam prouocaret collegam. Harderouicum peruenit a. 1729. ibique docuit ſumma cum laude Iurisprudentiam. Florem iuuentutis cum Germanicae, tum Anglicae ibi collegit. Neque tamen Harderouici iucunde vixit. Aerem illius regionis nullo modo ferre potuit: inde languor et grauiſſima valetudo. Quare alacri animo accepit munus profeſſorium, a ſummo *Munchhuſio*, quo non alius erat acutior ingeniorum arbiter, ipſi a. 1735. in Academia Gottingenſi oblatum. Gottingae et ſcripſit nonnulla, et ſcholas habuit, et meditatus eſt multa, quae quo minus ad exitum perduceret, caſu quodam inexſpectato Noſter impeditus fuit. *Püttmannus* quidem optimus hanc rem magis attigit, quam commemorauit: "Ecce, inquit, ſubito et praeter omnem exſpectationem p. 29.

Fortuna saeuo laeta negotio et
Ludum insolentem ludere pertinax,

faciem rerum prorsus conuertit atque mutauit. Diu iam inter Nostrum et quosdam ex eius collegis gliscebat ignis simultatum, qui iam, leui fortasse suscitatus causa, in apertam erumpens flammam faces discordiae ardentissimas subministrabat. Non is ego sum, qui in rem, tam incerta traditam fama, curiosius inquiram, verusque odii illius causas inuestigem. Si qui autem erunt, qui cum poeta hic exclament:

Tantaene animis coelestibus irae?

illos equidem monebo, faciles solere motus capere generosas mentes."

Equidem lubenter fateor, varium de hac re fuisse rumorem, aliis haec, aliis alia cum narrantibus, tum mentientibus. Hoc ego, cum Gottingae essem, ab auctoribus fide dignis accepi: *Mascouium* aliquando, collegii, quod de iure respondet, sodales quosdam alapis petiisse, atque inprimis *Gebaueri* vultum vnguibus foede lacerasse. De causa certaminis diuersas sententias audiui. Nonnulli dicebant, *Mascouium* a fratre Lipsiensi, parum *Gebauero* fauente, incitatum

citatum hoc fecisse: (quod tamen multas ob causas non probabile videtur) nonnulli ebrium fuisse eo die *Mascouium* mihi persuadere conabantur: alii narrabant, *Mascouium* ideo infestum fuisse *Gebauero*, quia et hic maiore discipulorum numero floreret, et quaedam in sententiis, a *Mascouio* pronunciatis, improbasset et mutanda censuisset. Fortasse plures causae simul nostrum ad hoc facinus, viri eruditi persona indignum, compulerunt: forte nec ipse satis intellexit sensitque, quam abhorreret illud a nomine et munere doctoris publici. Mihi quidem *Feuerlinus**, primus Gottingensi in Academia Prorector, narrauit, *Mascouium*, a se admonitum de rei atrocitate, dixisse. "Vbi, quaeso, est, collegium, cuius sodales non verberibus se aliquando petierint?" Interim re ad *Munchhusium* delata, missionem accepit *Mascouius*, licet hic summa gratia apud Hanoueranum Maecenatem, multas ob causas maiorem et amabiliorem Romano illo Maecenate, floreret. Cognitam enim habebat *Munchhusius* excellentem *Mascouii* eruditionem, paucosque in Germania illi pares esse, intelligebat.

Gottinga igitur abiit a. 1739 Lipsiam, veterem suorum studiorum matrem et nutricem. Tradidit ibi iuuentuti ius naturae et gentium, atque etiam ius Romanum et Pontificale. Munus tamen professorium obtinuit demum a. 1748.

p. 32. "Hanc nactus spartam omnes cogitationes eo direxit, vt ius naturae doceret caste, pure, cordate, sine fuco, sine fallaciis, haud illud, quod homines in Centauros commutat, aut quod ceruis in nemore potius, quam hominibus ratione praeditis, conuenit. In docendo autem iure Romano et Pontificio hanc tenebat viam, vt perpetuo vsum iuris cum doctrina coniungeret, nihilque doceret, nisi quod longa meditatione probe digessisset, etiam hac parte imitatus Cuiacium, quem, seu difficiles, seu non vsque adeo obscuras leges expositurus esset, continuas sex vel septem aut octo horas singulis lectionibus meditandis digerendisque, antequam auditorii suggestum conscenderet, impendisse tradunt." Sic igitur ille vixit Lipsiae, vixitque sub finem vitae magis sibi, quam Musis aut litteris. Fugiebat enim fere congressus hominum, nec ego memini, me illum Museo prodeuntem

euntem videre aliquot antè mortem annis. Nam, vt Vir Cl. narrat, erat in illo, morti proximo, summus rerum omnium humanarum contemtus, adeo, vt qui antea, quicquid pulchri ad nos transmisit, antiquitas, auidissime legerat, iam abiectis omnibus prope libris studia humana contemneret, fereque nihil, nisi versionem V. T. librorum Alexandrinam, legeret. Obiit a. 1760. pie, placide, vno verbo, vt hominem Christianum decet.

Huic narrationi subiunxit Cl. Auctor pictaram ingenii animique Mascouiani. cuius nos partes praecipuas repetemus. p. 34.
" Erat illi viuida vis ingenii, iudicium defaecatum, genus dicendi natiuum et dulce, perspicuitas summa, eruditionis, tum veteris, tum recentioris, copiae immensae, adeo, vt, quod ipse nesciret, non homini sed scientiae deesse videretur. Ingenio vtebatur ita, vt nunquam illius gloriam antiquiorem haberet veritatis studio, maximeque caueret, ne in eorum referretur numerum, quos suo ingenio, alieno vixisse iudicio velles. Ceterum nec a poetice alienus fuit. — Scribebat non multa, sed multum, Zeuxin imitatus, qui diu pingebat, quod

 aeterni-

aeternitati pingeret. Sane ex ipſis eius ſcriptis manifeſtus eſt labor, qui etiam dicere ſolebat, quemadmodum eunuchi quam maxime in venerem effuſi eſſe ferantur, ita ſemidoctos plurimos libros conſcribillare. Cum nemine vnquam ſuper re aliqua litteraria litem ſuſcepit, maxime auerſatus eos, qui more illorum, qui ciſtulas vendunt, aut corbes venales circumferunt, conuitia ſpargunt, hacque infamia famam aucupantur. Nunquam caput extulit, aut principatum inter eruditos affectauit. — Sequi gloriam non appeti debere putabat. Quanquam autem ita ſentiens neminem deſpiciebat, ſuo tamen in diiudicandis aliorum opinionibus vtebatur iudicio, opinionesque doctorum, quia nihil in iis certi, fugiebat tanquam ſcopulos, quippe qui non ex paludibus commentatorum, ſed ex ipſis iuris ciuilis fontibus ſapere didicerat. Semper animus eius abhorrebat ab inſano illo, Antinomias et Tribonianiſmos venandi, ſtudio, nec vnquam probabat eos, qui dente Theonino in miſerum ſaeuiunt Tribonianum, tantoque magis ſibi videntur ſapere, quanto minus illum ſapuiſſe aliis perſuadeant. Similes eos, qui ita ſemper in Iuſtiniano

Tri-

Trifonianoque fabam cudunt, ipſumque ius ab iis conditum deſpiciunt, aiebat eſſe Alphonſo X. regi Hiſpaniae, qui ſatis impie dixiſſe fertur, ſe mundum, ſi ipſi creationi adfuiſſet, multo melius ordinaturum fuiſſe. — In vita priuata multis praeclarisque virtutibus elucebat. Multum diuerſus ab iis, quorum moribus refellitur oratio, praecepta ſua, quod rariſſimum, ipſe vita egregie exprimens, priſcaeque frugalitatis et continentiae exemplum, ne permiſſis quidem indulgebat voluptatibus. Sine apparatu, ſine blandimentis expellebat famem. — Habitabat mediocriter, ſecus ac ii, quorum honeſtius saepe corpora, quam animae habitant. Neque erat *parcus deorum cultor et infrequens*, ſed Chriſtianas veritates non ore ſolum et verbis profiteri, ſed ipſa etiam morum probitate et vitae innocentia exprimere nitebatur, ſuauiter ſaepe ridens illos, qui, quod de Hobbeſio narratur, deum haud credentes, ſpectra tamen formidant. — Nihil in animo eius erat malitiae, nihil cupiditatis, nihil tumultus, nulla plane *aerugo et cura peculi*, quippe qui curam habendi prorſus corde eraſerat, ſaepius vſurpans illud M. Porcii Catonis:

nis: *si quid est, quo utor; utor, si non est, egeo.* — Seuerissimus sui ipsius iudex quotidie apud se ipsum causam dicebat, et quemadmodum alii delectantur, cum agrum suum, alii cum equum meliorem fecerunt, ita ipse, vt olim Socrates, delectabatur, quum se quotidie fieri meliorem deprehenderet. Nemo apud eum sinistris proscindebatur sermonibus, odiumque fouebat aduersus neminem, praeter hoc ciuile, quo omnes improbos odimus. Non loquebatur magna, sed viuebat, vt Cyprianus ait, magisque ipsa recte facta quam praemia recte factorum sequebatur. Nihil existimabat esse in vita magnopere expetendum, nisi honestatem ac virtutem. Experientia edoctus, studia animum ab omni perturbatione vacuum postulare, postquam prima vitae tempora et media reipubl. dederat, extrema sibimet ipsi impertiebat, nihilque otio, quod haberet aliquod tanquam pabulum studii atque doctrinae, iucundius putabat, sortem miseratus illorum, qui, vt nunquam in se descendendi tempus habeant, ad vltimum vsque spiritum in vita negotiosa, plena sollicitudinis ac stomachi, persistunt, et ad aliorum tantum viuunt

arbi-

arbitrium, numquam ad suum. Ita autem in studiis versabatur, vt saepe animus eius a societate corporis avocatus esse, atque in iis rebus, ad quorum se cognitionem intelligentiamque conuerterat, peregrinari videretur. Hinc autem vasta eius in omni litterarum genere doctrina, quippe qui scriptores Graecos eadem dexteritate legebat, qua Latinos. Quantum tenebat rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis! Nihil erat, quod discere velles, quod ille docere non posset. Ego sane, quoties memoria repeto, quam peritus ille fuerit et priuati iuris et publici, quantamque habuerit cum humanarum tum diuinarum intelligentiam, toties mihi ipse dico: eheu! *quam ambitiosa plerique hic paupertate viuimus!*"

Inde a p. 45. recensuit Vir Cl. libros a *Mascouio* scriptos. Neque vero titulos eorum tantum posuit, sed commemorauit argumenta, dixit sententiam de nonnullis opinionibus, etiam alia attigit, quae acre *Püttmanni* ingenium indicant. Immo spes est, fore, vt eiusdem opera Mascouiani libelli, vno volumine comprehensi, euulgentur. Vtinam ipse quoque cum viris doctis com-

 municet,

municet, quae *Mascouius* ad Scriptores Historiae Augustae illustrandos collegerat, auctoritate fratris admonitus. Qua
p. 85. de re sic Noster: " Multa quidem collegerat, quae facile omnibus harum rerum intelligentibus saliuam mouere poterant. Sed haud ignorans, quam plena periculi res esset, post Isaacum Casaubonum et Claudium Salmasium in scena sese ostendere, satius ducebat, cum lineis blattisque pugnare chartas suas, quam opus imperfectum nondumque omnibus numeris absolutum in publicum prodire." Schedae Mascouianae peruenerunt in manus *Io. Frid. Leisneri*, ludi Thomani apud Lipsienses magistri. Ille nuper quoque diem suum obiit. Praeterea *Mascouius* edendi consilium ceperat *Eclogas legum*, olim iussu Leonis et Constantini, Imperatorum, ex institutionibus, Digestis, Codice et Nouellis Iustiniani, a Rufo, Pinalio et Rhodione, excerptas, e codice bibliothecae Senatoriae Lipsiensis. Vna tantum operis plagula formulis descripta est. Hoc maioris operis specimen Vir Cl. huic libro subiunxit. Latinam Masco-
p. 119. uius interpretationem et animaduersiones his Eclogis addere voluit. Quid?

si

ſi vero ipſe *Püttmannus* ſe exorari pateretur, vt opus inchoatum a praeceptore perficeret. Nam is eſt *Püttmannus*, quem Apelleae Veneris, cuius caput et ſumma pectoris politiſſima arte perfecit vir ſummus, reliquam partem non ſine laude elaboraturum eſſe confidimus.

Epiſtolas, quarum in fronte libri fit mentio, perlegimus omnes. Sed vix meminimus nos legere quidquam memoratu dignum. Interim vel nugantes viros claros audire iucundum eſt. Praeſtant nugae *Gundlingii* et *Maſcouii* aliorum diſputationibus quam maxime ſeriis. p. 93.

III.

III.

ΓΕΟΡΓΙΟΥ ΓΕΜΙΣΤΟΥ τοῦ καὶ Πληθῶνος ἑλληνικῶν βιβλία Β. *Georgii Gemiſti Plethonis* de iis, quae poſt pugnam Mantinenſem apud Graecos geſta ſunt, Libri II. nunc primum ſeorſim editi, et notis illuſtrati ab *Henrico Godofredo Reichardo*, A. M. Sholae Prou. Grimmenſis Collega IV. et Cantore.

Lipſiae, ap. C. G. Hilſcher, 1770. plagg. 9. 8.

Fuit Georgius, Gemiſtus cognomine, etiam Pletho dictus, (dicamus enim quaedam de illo, quia Cl. *Reichardus* (*), quae ad eum pertinent, plane praeteriit) patria Byzantinus. Imperante Manuele Palaeologo floruit, fama eruditionis, prudentiae morumque integritatis non exigua conſpicuus. Platonicae Philoſophiae ſtudioſiſſimus fuit, vnde et Plethonis nomen ſibi impoſuit, quia illud ad Platonis nomen proxime accedere

(*) v. Leonis Allatii *de Georgiis et eorum ſcriptis diatrib.* in Fabricii *Biblioth. Graec.* Vol. X. p. 739.

dere putabat. Dum Aristotelis laudibus nimium detrahebat, concitauit virorum doctorum animos, in his Theodorum Gazam, Georgium Scholarium, Bessarionem. nec ea controuersia sine animorum aestu conuiciisque agitata fuit, vt solent, qui de modestia et tranquillitate mentis egregie philosophantur. Scripsit non pauca, quorum pars non contemnenda in bibliothecis latet. Alia edita sunt, vt opusculum de Platonicae atque Aristotelicae philosophiae differentia, de virtutibus libellus, descriptio locorum omnium Peloponnesi, in oracula magica Zoroastris commentarii, orationes duae, de rebus Peloponnesiacis constituendis, ad Manuelem Palaeologum, et ad Theodorum despotam, libellus de fato. Scripsit etiam libellos quosdam Theologici argumenti, quibus factum est, vt multorum incurreret reprehensiones, querentium de perniciosissimis viri erroribus. Lusit etiam versibus. Non pauca opuscula habet Bibliotheca Augustana, codicum veterum copia instructissima.

Iuuentutis, Graecarum litterarum cupidae, studiis maxime inseruit libellus de rebus gestis Graecorum post pugnam

Manti-

Mantinensem. Nam et sermonis est facilitas summa iucundissimusque candor, et rerum est varietas insignis atque narrationum mira iucunditas. Et magis placet eorum ratio, qui iuuentuti historici argumenti libellos tradunt, quam qui Xenophontis, Platonis et Plutarchi Philosophicos libros pueris proponunt. Nam taedium, quod, si verum fateri velimus, in linguis addiscendis cuiusque in animo suboriri solet, multo magis minuitur narrationum cum varietate, tum gratia, quam sententiarum siue subtilitate, siue seueritate. Quod vero dicunt, eiusmodi libellorum interpretatione non solum linguae Graecae scientiam comparari sed conformari quoque tenellos animos ad virtutis praecepta, nae ego magnifica hac oratione parum moueor. Frequentissima adest occasio, virtutis amorem in animis puerorum cum accendendi, tum alendi, nec ea inde petenda est, vbi non parum difficultatis adiunctum sibi habet.

Quae cum ita sint, laudamus Virum Cl. qui, hoc libello euulgato, bene puerorum commodis consuluit; praesertim cum Gemistus pleraque e Diodoro Siculo et Plutarcho hauserit, immo ad ver-

bum

bum descripserit, quos auctores raro in scholis pueri vident. Ad hos igitur legendos et intelligendos huius libelli apta interpretatione commode via sternitur.

Nunquam vero separatim hic libellus antea editus fuit. Primum cum Aldus cum Xenophontis ἑλληνικοῖς, Herodiani Historiis et Thucydidis Scholiasta, (a. 1503.) deinde Camerarius noster (a. 1540.) cum Herodoto vno volumine comprehendit. Camerarium non e codice, sed ex Aldina editione Gemistum petiisse, luculentis documentis se intellexisse Auctor profitetur. Ipse igitur Aldinum quoque exemplum secutus est. Addidit etiam animaduersiones, quibus Virum Cl. non tam virorum doctorum, quam iuuenum rationibus inseruire voluisse patet. Vel sic tamen apparet, illum Graecarum litterarum bene peritum atque in explicandis veterum scriptorum libris non parum exercitatum esse. Pleraeque animaduersiones spectant ad historiam ipsam, a Gemisto proditam. Nam et praetermissa ab eo ex aliis supplere, et aliter ab aliis narrata addere et caussas factorum commemorare studet. In emendandis locis, quae corrupta essent, saepissime ad Diodorum

et Plutarchum confugit. Neque meliorem rationem hic video, quam si recurras ad fontes ipsos, vnde riuulos suos Gemistus deriuauit.

Operarum errores non paucos in hoc libello obseruaui. quod eo aegrius fero, quo facilius animi iuuenum, quorum studiis totum libellum dicauit Vir. Cl. iis perturbantur.

IV.

Dionysius Longinus de sublimitate: ex recensione Zachariae Pearcii: animaduersiones interpretum excerpsit, suas et nouam versionem adiecit *Sam. Fr. Nathan. Morus*, Philos. Prof. Lips.

Lipsiae sumt. haered. Weidm. et Reichii, 1769. Alph, 1. 8.

In tanta multitudine eorum, qui nostra aetate praeceptiones suas (ipsi *Theorias* appellant, sibique plaudunt, verbo reperto) de elegantia in artibus et litteris popello venditant, locus tamen datur ab omnibus Longino non contemnendus, siue, quod antiqua viri fama impedit,

pedit, quo minus illius gloriae detrahant, ſiue quod, illo laudato et commendato, Graecae doctrinae ſpeciem ſibi conciliare conantur. Et dignus profecto eſt Longinus, qui tueatur locum, tot annorum ſuffragiis datum, licet nec eum ſatisfacere omnino nobis fateamur, vbi aut cauſſas ſublimitatis non ſatis ſubtiliter examinatas videmus, aut eum rhetoricas quasdam minutias captaſſe dolemus, maiorum rerum cupidi. Sed de hac re, atque vniuerſa Criticorum antiquorum ratione veriſſime et elegantiſſime Cl. *Morus* in praefatione iudicauit.

Primum igitur recte obſeruat, in liberalium diſciplinarum natura indaganda, veteres in obſeruandi diligentia acquieuiſſe, recentiores cauſarum quaerendarum ſubtilitatem adiunxiſſe. Duo maxime a veteribus obſeruata fuiſſe: cum loca ſingula, quae in praecipiendo vim exemplorum haberent, tum cuiuslibet looi effectus. Exemplis enim ſimilium locorum colligendis praecepta effici, ſibi illos perſuaſiſſe: praeceptisque apte et certo conſilio coniunctis artem, exiſtimaſſe eos, in promtu eſſe, qua vel natura rei explicaretur, vel modus imitandi oſtenderetur. Itaque eos

 exem-

exemplis contuendis voluisse intelligi, quid poesis esset, quid eloquentia, quae generum dicendi natura et diuersitas, quae figurarum, numeri, structuraeque ratio. Ideo adiisse eosdem Homerum et Demosthenem. Imitationis vero causa sic exercuisse iuuenes, vt eos ad vnum aliquem optimorum scriptorum quouis modo conformare se iuberent. Eos autem, qui effectus cuiuslibet loci obseruarent, quaesiuisse, quid quisque locus, figura, numerus, genus dicendi, compositio verborum in animis auditorum efficeret, qua eos suauitate perfunderet, quo impetu huc illuc raperet, quam facile eundem ad sensum, quo scriptor ipse agitatus fuisset, commoueret, inque ipsam rem ita traduceret, vt eam sibi viderentur videre, aut in societatem casuum enarratorum venirent. Atque hanc obseruandi curam eo valuisse, vt diuersas, pro diuersis effectibus, cuiusque virtutis in dicendo notas haberent, non, vt in priore genere, definiendo vel externo habitu spectando, sed interno sensu cognitas ideoque indubitatas. Ex hoc genere ea omnia esse, quae Longinus de figuris, translata oratione, atque numero scripsit.

nam

nam eorum vim et effectum in auditorum animis Longinum semper attendere. Immo omnem sublimitatis disciplinam in hoc velut fundamento eum aedificasse, vt effectum notaret. "Nam cum, addit, sublimitatem ἐκπλήξει cognosci vellet, non solum notionem eius hoc effectu significandi explicuit, sed quicquid de ea dixit, accommodate ad ipsum hunc effectum tradidit." Cui quidem Viri Cl. sententiae qui assentiatur, illum putamus habiturum esse, quod respondeat iis, qui quinque sublimitatis causas, a Longino commemoratas vituperant. Ex hac quoque Viri Cl. disputatione intelligitur, cur minus probetur recentiorum quibusdam Longinus, quam veteribus. Horum enim in obseruando consuetudinem imitatus erat.

Non minus vere Vir Cl. de Longino ipso iudicat, atque virtutes, illius proprias, recenset ita, vt causas, cur illae placeant, addat. Huc pertinet inprimis locus praefationis venustus, quem totum describere non poenitet. "Quod si, ait, scriptori ad aliorum de se opinionem mirifice prodest, non intelligere tantum rem, quam exponat; sed, si ex eo genere sit, in quo sensus ali- p. 12.

quis pulchri atque magni dominetur, etiam venire in praestantiae huius societatem posse, atque ita animo adfici, vt ipsa re occupatus videatur, haud dubie Longinus commendandus est. Quoties cum Homero, Platone et Demosthene miratur, horret, ruit! Quoties sublimitate attollitur, humanam magnitudinem praedicat, abiectosque animos a spe duraturae famae deterret! Nihil ille praecipit, quod, bona causa fretus, non tueatur vehementius. Tum vero, cum exempla sublimitatis examinat, quantum animaduertit, quam obstupescens iis immoratur, quantum feruet! Certe Longinum monitorem secutus nemo relegere loca scriptorum ipsa sine admiratione potest. Nempe hic in primis discitur, quid sit, cum sensu scriptores praestantissimos tractare. Aliud est, ad artis praecepta examinare singula, et placide de vitiis ac virtutibus orationis iudicare; aliud, sentire ea, quae scripta sunt, vna perterrefieri, metuere, mirari. Sed fallimur interdum, vel scriptoris amore decepti, vel aegritudine aliqua fracti, gaudioue iam elati; vel a natura ad miserandum aut metuendum facti. Ergo, quae sensimus, examinanda

nanda sunt; singula per se et omnia coniunctim; res denuo ab initio ad finem percurrenda. Quod si semper vno eodemque modo animum adfecerit, dubitari nequit, praeclare illa et vere exposita esse. Atqui hoc a Longino ita praestitum est, vt peritissimos quosque omnium aetatum in eodem genere versatos vidi."

Paullo post sententiam suam Vir Cl. de dicendi genere, quo Longinus vsus est, dicit. Non negat, metaphoras illum cumulare, duriores etiam adsumere, interdum non tam vbertatis laudem, quam redundantiae notam mereri, res satis simplices nonnunquam operosius exornare. Sed primum hoc illi aetati, quam non male sophisticam et rhetoricandi studiosam dixeris, condonandum esse censet: deinde propter rei magnitudinem, qua facilius Longini animus exarserit, excusandum esse monet. Praeclarissime vero de stilo Longini iudicat. "Figuris, inquit, iis et tropis vtitur, quae non nisi in acriore animi commotione locum habent; ea item vbertate diffunditur, vt vere illud flumen orationis dici possit; sic denique numerosus est, vt vix temperare tibi inter legendum

gendum possis, quin alta voce quaedam recites: adeo cursim feruntur omnia et prouoluuntur."

Sed satis diximus de Longino ipso. De quo Viri Cl. sententiam ideo repetiimus, quia subtilius reliquis de illius libro iudicauit, atque etiam hinc intelligitur, quomodo in interpretatione veterum scriptorum versari soleat Cl. *Morus*, a quo multa exspectamus litteras nostras ornamenta accepturas esse. Progrediamur nunc ad virtutes nouae editionis commemorandas.

Iam primum oculos animumque allicit Latina versio. Noua non solum ea est, sed talis quoque, qualem nos dudum in votis habuimus. Ipse Auctor, quem modeste et verecunde de se existimare et loqui, multis exemplis patet,
p. 21. de ea dicit: "Labori quidem non peperci, et vere dicere possum, quater amplius eam penitus mutatam esse." Neque poterat non magno labore eiusmodi versio constare. Nam talem versionem mente conceperat Vir Cl. quae sine Graecis intelligi, ac per se pro Latina haberi posset, signa tamen versionis impressa gereret, sine magna commentarii, aut scholiorum, aut periphraseos

ſeos ſimilitudine, quales ſunt Politiani, Rhodomanni, Wolfii. Equidem libere fateor, me nihil facile in hoc genere egiſſe perfectius. Primum enim hac verſione effeciſſe videtur Vir Cl. vt multis de verbis admonitionibus et ipſe ſuperſedere poſſet, et lector haud aegre careret. Porro verſio haec iucunda non ſolum lectu eſt, ſed ſatisfaciet quoque iis, qui aut Graeca ignorent, aut Latino Longino contenti eſſe velint. Nec verbum de verbo expreſſit, nec, vt Tollius fecit, verboſius ſententias Longini reddidit. Longinum translationibus delectari frequentiſſimis notum eſt. Has metaphoras feliciter adſequitur verſio. Vno verbo: gratulamur omnibus, cognoſcendi Longini cupidis, egregium intelligendi ſublimis illius magiſtri ſublimitatis ſubſidium et inſtrumentum.

Vno in loco haeſimus. Licet enim de aliis quoque aliter paullum nobis viſum fuerit, inprimis tamen haeſimus in verſione carminis Sapphici, *φαίνεταί μοι κῆνος κ. λ.* Norunt omnes, eſſe illos verſiculos Hymettio melle dulciores, multaque parte nectaris ſui illos imbuiſſe Venerem ipſam. Aſſecutusne eſt Vir Cl. illam venuſtatem naturalem, il- p. 63.

 lam

lam simplicitatem amabilissimam, illam suauitatem, quam facilius sentire, quam verbis exprimere possumus? Reddidit carmen sic: *Ille mihi diis similis videtur, qui ad te conuersus sedet teque propinquus dulce loquentem audit, dulce ridentem. Haec meum pectus percusserunt: vt enim te vidi, vox haeret, fracta est lingua, tenuis ignis cutem subiit, oculis nihil cerno, tinniunt aures, manat sudor frigidus, tota contremisco, herba pallidior sum, et exanimis propemodum morior. Sed omnia sunt audenda* etc. Aut ego valde erro, aut is, qui hanc versionem tantum legerit, Graeci sermonis ignarus, vix intelliget, quomodo tot secula in his versibus non tam laudandis, quam laude ad coelum tollendis, consentire potuerint? Sed nec negamus, cuiuscunque carminis vim et venustatem non posse non minui atque frangi, si illud sermone soluto exprimatur. Deinde neque lingua Latina, eam suauitatem habet, quam Graeco sermoni Charites ipsae afflasse videntur. Quae quidem suauitas non solum in singulis litteris et syllabis spectatur, sed sese quoque prodit collocatione et coniunctione verborum, eorumque vsu, inprimis

mis in translationibus. Nemo inter Latinos poetas hac parte felicior fuit Valerio Catullo. Quid enim illis carminibus, *Passer deliciae meae puellae* etc. *Lugete o Veneres Cupidinesque. Et quantum est hominum venustiorum* etc. *Viuamus, mea Lesbia, atque amemus* etc. quid igitur mellitissimis his versiculis dulcius? Nil vnquam cecinerunt Latinae Camoenae, quod propius ad Graecam suauitatem, venustatem, simplicitatem accederet? Ornatum illae magis amabant, verborum splendorem, numerorum grauitatem, fere nunquam inter iocos et gaudia Romani sermonis seueritas ita latet, quin vel inuita se prodat. Idem vero Catullus, dum hoc Sapphus carmen exprimere studuit, *Ille mî par esse deo videtur* etc. non infeliciter quidem rem egit. Tantum praestitit, quantum per morosum linguae genium licuit. Quis tamen audeat, modo degustauerit Graeci fontis dulcedinem, Catullianos versus comparare cum illis, quibus Sapphus summum omnium animis desiderium iniecit eorum carminum, quae temporis hominumque saeuities deleuit, eripuitque nobis, qui, si reddi illa possent, hanc voluptatem

 mille

mille voluminibus, siue rixosorum sacrificulorum, quorum manus et vngues Sapphus, Alcaei et aliorum carmina infestas experta sunt, siue delirantium in cathedris Germaniae Philosophorum redimeremus.

Venio ad adnotationes, Graecis verbis subiectas. Ipse Vir Cl. fatetur, se, in angustiam contractis iis, quae ab interpretibus dicta fuerunt, vtilissima tantum repetiisse, eorum causa, qui, aliqua litterarum Graecarum scientia imbuti, legere quidem scriptorem possent, sed monitore interdum egere viderentur. Vbi vellemus, nomine cuiusque interpretis addito, monuisset, quid cuique deberetur. Vtile hoc foret multas ob caussas. Inprimis vero vsus est Fabri, Tollii, et Pearcii interpretationibus.
p. 17. de quibus recte iudicat: "Faber multa primus viderat acute, fueratque a posterioribus probatus: Tollius id egerat, vt, quantum posset, loca dubia explicando definiret: Pearcius denique, opera inter verba et res diuisa, omnium consensu praestantissimus Longini editor vere iudicatus erat; cum et in genere critico excelluisset, et sensum pulchri singularem vbique prodidisset." Interdum

dum quaedam ab editore noſtro adſperſa obſeruauimus. Spectant haec ad ſignificatus verborum difficillimos illuſtrandos, ad diſputationis Longinianae nexum accuratius demonſtrandum, ad ſententias ipſas explicandas, vel cauſis indicatis, cur vere aliquid a Longino traditum videretur, vel exemplis quibusdam additis. In his animaduerſionibus breuitas ab Auctore adhibita eſt ſumma, amendatis plerumque lectoribus ad maiora opera, fontibus indicatis. Vbique monitorem fidelem et modeſtum contemplamur. Blande aurem vellit, de ſententiis veris aut falſis earumque cauſis vno ſaepe verbo nos admonet; loco commodo nos remoratur; vbi nulla difficultas eſt, nihil periculi imminet, nos progredi ſine vlla mora patitur. Quae quidem ratio licet non vanitati placeat, inanem eruditionis ſummae ſpeciem captanti, amantique laudem plebisque plauſum, tamen et vtiliſſima eſt, et eorum animos laudemque Auctori conciliabit, qui, quid ſit recte interpretari veteres ſcriptores, intelligant. Hoc quoque animaduertimus: Longinum frequenter Vir Cl. ex Longino interpretatur, id eſt, ſimilia

loca

loca inter ſe comparat, formulas, illius proprias, reſpicit, atque ſic locorum ſenſum explicare nititur. Vtitur etiam ſaepius Dionyſio Halicarnaſſenſi, quocum Longino maxima ſimilitudo intercedit. Vtriusque igitur formis loquendi, translatis praeſertim, comparatis, ad veram verborum ſententiam peruenit. Praeter Dionyſium legit adſidue Longinus Platonem. Inde multa in illius libro ſunt et verbis et ſententiis Platonica. Immo quod longioribus metaphoris Longinus eandem rem perſequitur, hoc ingenioſe Auctor Platonis imitationi tribuit. Neque hoc mirum alicui videbitur, niſi qui ignoret, Longini aetatem Platonis lectioni, interpretationi, imitationi, admirationi fuiſſe deditiſſimam.

V.

D. *Carolus Andreas Bel*, Seren. Saxon. Elector. Consiliar. Aul. et Poes. Prof. Publ. Ordin. *de barbarie fanaticismi filia.* Lipsiae, 1770. pagg. 12. 4.

Idem *de optimis contra fanaticismum in litteras grassantem remediis.* Ibid. 1771. pagg. 14. 4.

Conflictatur inde ab aliquo tempore Germania nostra cum quodam hominum genere, quod libenter risu sibilisque prosequeremur, si illud suo tantum damno et periculo desiperet, nec litteris nostris summam perniciem minaretur. Hi sunt isti vmbratici homines, qui omnem humanam sapientiam eiurasse videri volunt, qui commercia coeli iactant, qui non, quod ante pedes est, vident, sed futura praedicunt, qui Iohannearum reuelationum librum vbique in manibus habent, explicant, et somniis suis illustrare conantur. *Apocalypticos* appellare poteris *Philosophos*: nam Philosophi sibi videntur summi, totosque dies nugis difficillimis consumunt. Impia esse clamant nostra studia:

dia: complecti haec eas litteras, quarum auctores a daemone (nam hunc intus et in cute norunt, assidueque speculantur illius facinora et artes) miseris poenis excrucientur: Musarum nomen qui vel vsurpet, perperam agere. Nonne enim, inquit ore subridente huius turbae antesignanus et dux, nonne sunt Musae filiae diaboli? Litterarum studiosos si Musarum filios appellatis, nonne diaboli filios eos appellatis? Ingeniosa, mehercle! vox et digna vetulo Philosopho.

Horum hominum stultitiam, tam perniciosam litteris, ostendere studuit atque compescere illustris *Belius*. "Nam
p. 5. fanatica lues, vel praeclaris ingeniis persuadendis apta, ipsa litterarum sacraria inuadere coepit. Speciosa sane, et velut coelo edita incedit; ceterum, mox obscuris telis, mox vi aperta, inimicas sibi litteras petit, et quantum in se est, prosternit. Hanc belluam propius inspicere placet, inprimisque ostendere, 'monstrum ex illa gigni, serius ocyus, quod barbariem ingeniorum abominantes vocamus."

Vehementer laudamus animum *Belii* fortem, intrepidum, maiorem istorum

homuncionum conuiciis et voculis, qui ſua ſacra turbari indignabuntur, atque vnice litterarum honoris defendendi ſtudioſi. Sic ſemper egerunt magni viri. Imminentes hi reipubl. tempeſtates ita auertere ſtuduerunt, vt libere, periculum adeſſe, dicerent, quid factu opus eſſet, oſtenderent, et ad auxilium afflictis rebus ferendum ciues adhortarentur. Non aliter *Belius* noſter. Ipſe ille orationis ardor, illae verborum faces, quae hos libellos lecturum commouebunt, indignatione incendent odioque implebunt aduerſus iſtos tenebriones, indicant, quam ille ex animo deploret litterarum ſortem earumque cauſam quam excelſa virtute ſuſcipiat. Quae animi magnitudo eo maiorem *Belio* in omnium mentibus cultum vt conciliet, fas eſt, quo latius peſtis ea ſerpit, quoque potentiores fautores et patronos quibusdam in regionibus nacta eſt. Hi enim *apocalypticam* iſtam *ſapientiam* tanquam formoſam filiolam in ſinum recipiunt atque exoſculantur; hi progeniem illius vitioſam tuentur et ornant.

Imaginem horum hominum exhibuit Vir illuſtris egregiam, quam, tanquam p. 6. ſpecu-

ſpeculum, iſtis obuertamus, vt ſuum vultum, ſuos mores agnoſcant, atque erubeſcant. quanquam quomodo iſti erubeſcant, qui totum humanum genus prae ſe deſipere cenſent? Transferamus huc illam tabulam. Agnoſcemus manum Apellis alicuius vel Zeuxis.

"Hic furor et morbus ingenii, ſpretis veriſſimis doctrinae et ſapientiae adminiculis, ſua tantum via, hoc eſt, a ratione et vſu praeſtantiſſimorum hominum quam maxime aliena, graſſari ſolet. Vndique corripit ea, quae procreandis et nutriendis imaginibus iucundis, mirabilibus, portentoſis inſeruiant, ſenſusque ita feriant, vt ab his etiam iudicandi facultas omnis pendeat. Quod memoria, lectione, diligentia et infinita in litterarum ſtudiis exercitatione comparatur, id ſe indignum, nimisque aridum, et humile, quamuis veri et certiſſimi vſus, adpellat. Vnice potius in fingendo, comparando, et extollendo in immenſum ſcientiae quodam aedificio, quod aethereum dicere poſſis, verſatur. Nam ſubtiliter rimando rerum cauſas et latebras, non ea in lucem producere geſtit error hic fanaticus, quae ratione et experientia ducibus inueniri queant,

queant, ſed quae ſibi arrideant et adulentur maxime, inferenda in ea loca, vbi vel acutiſſimus nil tale videat. Quae conſultiſſimi omnis ſapientiae viri negant fieri poſſe, et eodem conſiſtere loco, ea ille nullo negotio coniungit et contraria ipſa audaciſſime miſcet. Idem, orbe ſublunari relicto, ſaepius in geniorum et daemonum intermundia exſpatiatur, ipſam Dei ſedem, cum lubet, ingreditur, omniaque illic, oculis humanis negata, tam perſpicue intelligit, ipſisque actis intereſt, vt narrare illa caeteris mortalibus commode deinceps atque explicare penitus poſſit. Cum autem ſententias, non veras, ſed vix aliqua ſui parte probabiles et ſpecioſas, non vtiles, ſed foecundae duntaxat imaginationis fructus, et luſibus idoneos, conſectetur: ſtupenti plebeculae minutisque ingeniis expromit inuenta ſua, eaque pari modo faſcinare conatur. His ſublimem et ignotam per omnia ſecula ſcientiam abſolui contendit, poſcitque, vt ea ſola hominum genus fruatur. Quo longius autem abeſt ab illa trita et aſperiore tamen via, quam terreſtri ſorti adſueti mortales calcant, vt ad verum pernoſcendum perueniant, tanto magis

agitat se et consumit, Andabatarum more, volitando inter phantasmata ex se ipso orta, et postquam praeterita omnia et praesentia nubibus inuoluit, de futuris non tam vaticinatur, quam velut ante oculos positis edisserit. In tanta licentia, quae fanaticae huic insaniae propria est, tolerabiliorem tamen dixeris, quamdiu a religione et sacris contrectandis sibi temperat. Verum vbi his quoque impuros ignes admouet, multo maiores turbas excitat et perniciosiores. Tum enim Deum humano modulo metitur, suisque ideis vel somniis potius, quam simillimum efficere laborat: deliria sua substituit doctrinae diuinae: et pietatem absonam, humanis superstructam ritibus, ornamentis, nugis denique et fabulis, sectatur. Tamen in his quoque Dei se causam agere putat, velut cunctis rebus aliis, quibus religionis simplicitatem coinquinat; se solam cultui numinis seruire, caeteros profanos esse, impudenter vociferatur. Oblita porro consilii, quo Deus in his terris vitam agere homines iussit, quaecunque cum pietate et religione, qualem nimirum ipsa enixa est, non arctissime copulata sunt, ea abesse a studiis eorum et occu-

passionibus debere pronuntiat. Ceterum sanctitatem illa quoque prae se fert, huic menti consentaneam, hoc est, in ore moribusque, publice spectandis, habitantem, cuius tamen ardor, etsi omnia circum exurere videatur, cito exstinguitur, quod nullis animi flammis interioribus nutritur, sed stipulis, cito et cum fragore quodam concremandis. Verum si germana in Deum hominesque pietate vacua est, tanto frequentius hanc praetexit caussam stragis et malorum, quibus mortales a se alienos vexet. Adeo enim moderationis et humanitatis expers est, vt saeuissimo odio prosequatur omnes, quicunque secum in eadem deuia deflectere recusant. Cum enim hoc sibi persuaserit, eos Numinis, religionis, virtutis, verique omnis hostes esse, neque per furorem suum probare possit mitem illam et lenem erudiendi disciplinam, qua erranti comiter via monstretur; conuiciis et poenis in eos grassandum esse existimat. Itaque, si copia fiat, vexat illos etiam modis quibusque, communi humanitatis sorte frui non patitur, nonnunquam etiam, post fortunae bona, vita priuandos iudicat: quid enim bacchanti insaniae durum possit videri?"

Non difficile erit, hac imagine considerata de quo hominum, siue Theologorum, siue Philosophorum, genere *Belius* loquatur, intelligere. Istos vero homines eo seculo, quod *aureum* appellat quorundam siue vanitas, siue temeritas, caput tollere quis non miretur? Quis non doleat, exitialem istam ingenuae litterarum libertati pestem foueri, ornari, defendi? Summam enim inde litteris damnum enasci cum ex ipsa rei natura verissime ostendit Noster, tum exemplis, ex historia petitis, confirmat. Reuocat in memoriam illa tempora, quibus *secularis*, vt audiebat tum, *sapientia* spernebatur, atque haec Gregorii M. vox auribus accipiebatur: *indignum vehementer existimo, vt verba coelestia oraculi restringam sub regulis Donati.* Quare verendum est, ne eaedem tenebrae, quibus olim oppressae litterae meliores iacuerunt, iterum liberalis doctrinae lucem obscurent atque exstinguant.

Neque vero querelis tantum prosequitur sortem litterarum Auctor, sed quid faciendum quoque existimet, quibus armis intestinis istis ingenuae doctrinae hostibus resistendum sit, exponit. Quo loco non illiteratos ante oculos habet

homines et de plebe fanaticos, ſed eos, qui in aliqua, etiamſi tenui, litterarum cognitione, in acumine non contemnendo, ingenio luxuriante, imaginandi autem vi ignea prorſus et delirante, litteras meliores arte et ratione quadam petunt. Illorum deſcriptionem in *altero* libello dedit Vir praeſtantiſſimus admirabilem, quam, licet, bis iam lectam, tamen iterum nunc legere non poenitebit. Illam ne praetereat quisquam moneo. Horum hominum furori non imbellem praecipit fortitudinem opponendam eſſe: vehementia et impetu aduerſus illos procedere nos debere. "Indigni enim videntur, quos leniter et moderate habeas, non modo propter ferociam et ſuperbiam intolerandam, quamuis ea ſaepius modeſtiae externam ſpeciem mentiatur; ſed etiam quod adeo celeres et repentinos in animis multorum progreſſus faciunt tragoediae et miracula, quorum artifices ingenioſiſſimos agunt, vt, niſi vim et grauem armaturam pares, omnia late circum in ſua caſtra pertrahant." Leniora conſilia parum efficere. "Qui enim ferarum in modum agros melioris doctrinae vaſtant, num, blando cultu, velut auicu-

p. 5.

p. 7.

p. 8.

 lae,

lae, capiendi ſunt? Parum certe ſentiunt monita et praecepta placidiſſima homines, cum non tam ſeueram cogitandi iudicandique diſciplinam ſectentur, quam a circumſtrepentibus phantasmatibus in transuerſum rapiantur. Itaque faces quaedam orationis illis admouendae videntur, vt vbi verſentur, aut verſari eos deceat, diſcere et experiri poſſint." Porro ad ſedem huius calamitatis euertendam facere videri Satyras, nec male ſomnia ineptiſſima ridendo refutari. Aurea ſunt Auctoris verba,
p. 9. quorum ſenſum aſſequentur omnes, qui *apocalypticos* noſtros Philoſophos cognitos habeant. "*Eorum volatus Icarios, in deſcribendis daemonum rebus geſtis operoſiſſimam ſolertiam, in intimis naturae hominumque ipſorum penetralibus aperiendis male ſedulum laborem, magna contentione nil eruentem, in futuris praedicendis mirificam ſagacitatem, in interpretandis oraculis diuinis luſus, et viſa portentoſa, denique, vt multa paucis eloquar, in exſtruendo orbis atque inferorum aedificio, aranearum telis quam ſimillimo, ſuauiſſimam nugacitatem, haec igitur omnia quis ſerio refutanda cenſeat, nec potius adunco naſo ſuſpen-*

ſuſpendenda? Nullum hoc loco verbum ſine cauſa poſitum eſt. Praeſtantiſſimum certiſſimumque remedium contagii peſſimi vltimo loco adfert. Ita monet inſtituendam eſſe iuuentutem mature, vt aduerſus Sycophantarum iſtorum illecebras egregie munita et praeparata dici poſſit. Quare nihil magis opto, quam vt fideles praeceptores omnibus, quos ad Academias dimittunt, iuvenibus horum libellorum argumentum explicent, etiam atque etiam illud inculcent, immo verba ipſa, ſi fieri poſſit, eos ediſcere iubeant. Ipſum vero *Belium* ſingulari laude et praedicatione quis non dignum cenſeat? Equidem neſcio, an ad eorum, *quibus in ſenatu ſententiam dicere licet*, numerum adſcribendus ſim. Interim audeo referre ad Senatum litterarium, quid de gratiis publice illi agendis honoribusque habendis cenſeat? Ego pro ſententia mea hoc cenſeo: publico in monimento, in illuſtri ciuitatis eruditae loco ponendo, Senatus conſultum his verbis eſſe perſcribendum:

Cum Carolus Andreas Belius, V. Cl. plurimis erga litteras hominesque

 litte-

litteratos meritis et beneficiis clarus, difficillimo tempore saluti dignitatique litterarum subuenerit, forti et prudenti animo, ne quid detrimenti res publica caperet a Fanaticorum, et Apocalypticorum, Theologorum et Philosophorum, omni ingenuae doctrinae interitum minantium, perniciem summam parantium, insidiis, prouiderit, hostium artes et consilia aperuerit, virtute incredibili eorundem impetum represserit, bonos ciues ad defendendam ingeniorum libertatem adhortatus sit, honorem litterarum defenderit, spemque meliorum temporum reduxerit: id eum recte atque ordine exque rep. fecisse idque Car. Andreae Belii praestantissimum meritum in Rempubl. Senatui Populoque litterato gratum esse, eiusque in remp. meritorum Senatum Populumque fore memorem, atque earum rerum causa nomen Belianum in aeterna gloria fore.

VI.

VI.

Iac. Phil. de Medenbach Wakker, ICti, Amoenitates Litterariae.

Traiecti ad Rhenum, ap. Abr. Paddenburg, 1770. pagg. 167. 8.

Amoenitates appellauit Auctor coniecturas, quibus cum Graecos tum Latinos scriptores quosdam emendare studuit, vbi illorum libros corruptos putaret librariorum errore, siue quia plurimum inesse amoenitatis veterum auctorum libris videret, siue quod suum libellum amoenissimum iudicaret. Nam vt matres a se natos filios non deformes existimare solent, sic, qui libris scribendis operam damus, delectamur iis ita, vt pulchrius quidquam illis in luminis auras prodiisse aegre credamus.

Coniecturae, aut, si malit quisquam, emendationes Wakkerianae spectant ad Claudianum, Horatium, Ouidium, Virgilium, Alciphronem, Petronium, Anthologiam Latinam et Graecam, Propertium, Tibullum, Empedoclem, Coluthum, Theocritum, Anacreontem. His praefixit Elegiam, qua *Rhunkenia-*

nae] laudes celebrantur. Nec credo invitum passurum esse Professorem Lugdunensem, inter lauros, ab Ernestio, Heynioque donatas suspensasque, hanc hederam sibi serpere. Nam satis liberali manu thura illius numini offeruntur.

Vt specimina demus ingenii Critici, adferamus opiniones quasdam, de quarum veritate nobis aliter videri, quam Auctori visum est, non negamus. Inprimis videtur Auctor sine caussa idonea saepius loca sana Scriptorum tentasse, atque vulgatam lectionem mutasse, non quia necessarium esset, sed quia forte magno mutationum numero nomen titulumque Critici comparari posse censeret. Sed de his iudicent viri docti. nos exempla quaedam addemus.

Apud Claudian. in Rufin. II. 527. legitur:

Dum rotet astra polus, feriant dum littora venti.

Quid est in hoc versu, quod offendat aliquem? Sed quia Virgilius dixit, *feriant, sine littora fluctus*, ideo etiam hoc loco *fluctus* praefert. At exquisitiorem, si subtilius rem examines, sensum

ſum habet vulgata lectio. Quidni *feri-re*, *pulſare*, *tundere*, de vento, fluctus ad littora cum impetu voluente, dici queat? *Verberare* hoc ſenſu aliquoties dixit Lucretius, vt, I, 272. *Venti vis verberat incita pontum.*

In Eiusdem Feſcennin. 105.

Non quisquam fruitur veris odoribus,
Hyblaos latebris nec ſpoliat fauos,
Si fronti caueat, ſi timeat rubos.

Honorem pratorum et aeſtatis dici flores, quis ignorat? At quis ideo hoc loco *honoribus* reponendum cenſeat? Illa notio, quae ineſt verbo *frui*, vulgatam iam defendit. Non quisquam florum dulcem odorem plene accipiet, attrahet. etc.

Non digitos momordiſſe videtur Auctor, apud Horatium pro

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis

ſubſtituens *Dulce*: immo *ſuaue*, *lene*, *mite*, *molle*. nam haec verba vel in ſomnio in mentem veniunt. Sed quis non intelligit, τῷ *modicis* bene reſpondere τὸ *vile*; vtrumque verbum accomodatum eſſe Horatii perſonae. Nec legerit, oportet,

tet, finem carminis: *mea nec Falernae temperant vites, neque Formiani Pocula colles*, qui sic harioletur.

Nec totam Eclogam X. Virgilii recte considerauit, dum in v. 44.

Nunc insanus amor duri me Martis in armis
Tela inter media atque aduersos detinet hostes

praefert coniecturam: *te* et *aruis*. At recte interpretes docuerunt, Gallum, qui amores suos hoc carmine deplorat, eo tempore sub Augusto militasse, vt naues Pompeianae ab Italia arcerentur.

Auctor Elegiae in obitum Mecaenatis inquit v. 77.

Lydia te tunicas iussit lasciua fluentes
Inter lanificas ducere saepe suas.

Non opus fuit, vt Auctor coniiceret *sumere* (quanquam risimus paullulum, cum videremus eandem coniecturam in libello; ab Auctore, vt ex aliis locis patet, lecto, olim prolatam esse ab aliquo, quem laudari nefas erat, nam nec acri tibia, nec lyra celebrauit vnquam summum *Runkhenium.*) Quid si *ducere* idem est quod *trahere* vestes? quod verbum de

de vestibus luxuriosis, de tunicis *fluentibus* aptissime hoc loco vsurpatur. nisi credas, *ducere* esse idem, quod nere, texere: vt *lanam ducere* frequenter veteres dixerunt. v. Burmannum ad *Petron. Satyr.* p. 821.

Praeter necessitatem in Epitome Iliados Homericae sollicitat verba *annosaque* tempora *plangit*, coniicitque *pectora*. Nullam causam edidit, cur non Latinam satis hanc formulam existimaret, nec vllam causam edere poterit vnquam. Eiusmodi disputationibus facile carere possumus.

Non aliter iudico de similibus coniecturis. Apud Propertium, I, XIV, 25.

An si caeruleo quaedam sua tempora fuco
Tinxerit,

mauult *pinxerit:* quia praecessit *tincta nitore caput*, et III, 6, 18.

Non est certa fides, quam non iniuria versat,

coniicit: *recta fides.* nam praecessit,

Has certas didici saepe in amore notas.

Quoties non docuerunt viri docti, eiusmodi verborum, exiguo spatio, recurrentium, repetitionem saepe obseruari.

cf.

cf. Gronouium *ad Liu.* XXI, 22. et alios. Nec *recta* fides idem indicat, quod certa fides.

In Anthologia verſus:

Mars grauis armorum, Pluto moderator Auerni eſt,

recte ſe habet, ſi tu referas τὸ *moderator* ad *grauis.* Auctor coniicit *Mars pater armorum.*

Poſſem pluribus exemplis oſtendere, ſaepe quam longiſſime recedere a veſtigiis litterarum Auctorem, v. c. p. 117. 104. 101. et alibi. Licentius praeſertim in Propertio verſatus fuit, quem vix aliter tractaſſe videtur, ac tractare forte ſolet *Runkhenius* diſcipulos ſuos, tremebunda manu flebiles Elegias offerentes. Mutauit, deſeuit, transpoſuit quaelibet ad ſuum arbitrium libidinemque.

Ad coniecturas, quae feliciores reliquis videntur, refero eas, quae occurrunt p. 17. 32. 34. 37. 92. 103.



VII.

VII.

Ioh. Erici, in Academ. Equestri Sorana Professoris Iuris, Obseruationum ad antiquitates septentrionales pertinentium specimen.

Hafniae, 1769. apud Heineck et Faber, pagg. 191. 8.

In *Obseruatione I.* Auctor, rerum antiquarum peritissimus, clarusque *Introductione et adnotationibus ad Speculum Regale*, agit *de Somniis*, *ex doctrina veterum Septentrionalium.* Docet hoc libello, fuisse sententiam veterum, euentus omnis generis publicos et priuatos somniis indicari: hinc admodum insigne ex somniis diuinandi futura genus ortum, multosque somniorum aestimatores, captatores, interpretes viguisse: Sapientissimum quemque vulgo existimatum fuisse somniis explicandis aptissimum, illosque, quos ab intelligentia somniorum antiquitas maxime commendauerit, etiam sapientiae fama excelluisse. Duplici fundamento ars haec nitebatur. Primum obseruatio regnabat constans atque diuturna adeoque similium

milium casuum exspectatio: tum verborum vel simulacrorum, quibus somnium quoduis continebatur, conuenientia cum certis rebus, quas illis significari censebant, obseruabatur. Sic Astrida putabat armillae in somnio oblatae specie, id est, re pretiosa et amata, maritum indicari. Aliquam somniorum partem tribuebant viribus geniorum, quibus omnia animari putabant: aliquam terrae exhalationibus, vnde et somnia captaturi cubile haram elegerunt. Nec ignorasse videntur cibi potusque efficaciam et vim. nam somniis ebriorum non magis quam aegrotorum denegabant fidem. Nec ignotae iis fuerunt causae somniorum, ex cogitationibus, quae in vigilantium mentibus antea versatae fuerunt, habituque animi et affectibus, deriuandae. Praeterea Septentrionis antiqui incolae vim quandam futurorum praesagam et diuinatricem menti inesse putabant. Forte illam duxerunt ex natura Odini: nam hinc proxima mentis humanae origo, erat, et is omnia fata manu tenebat: forte, vt Stoici et Platonici, coelesti animi cognatione probata, in hanc sententiam peruenerunt.

p. 79. "Magis, inquit Auctor, hoc mihi probatur;

batur; multumque id confirmat notabilis illa philosophiae borealis cum Pythagorica, Stoica et Platonica, quae vel leuiter inspicienti vbique patet; et proxime quidem opinio de ignea animae natura, eiusque tandem in coelos reditu recte, vt puto, nostris etiam a Bartholino asserta." Inprimis vero intercedere credebant geniis aliquod commercium cum mente dormientium. Hoc commercium, hanc vim, somnia excitantem, diis maiorem gentium tribuebant. Sic Erico, victorioso, Sueciae regi, ante praelium cum Styrnbiorno commissum, apparuit Odinus, tradiditque victoriae signum, arundinem, qua hostem et socios Valhallae deuoueret. Plurima autem somnia referebant ad deos inferioris ordinis. Deos enim, qui supremi vel superiores habebantur, vniuersi orbis praesidium gerere putabant: neque eos ad euentus singulares descendere, nisi vel rei magnitudo dignum nodo vindicem postularet, vel praeclara viri alicuius virtus inuitaret; immo tunc eos saepe inferiorum deorum ministerio vti: his inferioribus diis curam relictam esse hominum singulorum rerumque. Primum inter hos

 locum

locum habebant Dii ſingulorum locorum tutelares, qui appellabantur *Landvaettir*. Hi genii terreſtres ſomnia immittere credebantur, inprimis, quae imperiorum vel natales vel mutationes portenderent. Sequuntur *Parcae*, quo nomine, ad imitationem Romanorum, recentiores appellant deas, diſpenſatrices fatorum deorumque miniſtras. Sed eſt triplex harum dearum genus notandum. Primum conſtituunt tres deae, quae cum Graecorum et Latinorum Parcis, vt numero, ſic poteſtate non inepte comparantur, *Vrdr*, *Verdandi*, *Skulld*, quarum haec futurorum, illa praeſentium, iſta praeteritorum notiones ſuis nominibus exprimunt. Suberant Odino, ſummo moderatori fatorum, eiusque ad nutum omnia diſpenſabant. Sequuntur *Valkyriae*, bellorum miniſtrae. In praeliis morituros ſeligebant, ad gaudia Valhallica inuitabant, menſasque et epulas in Valhalla curabant. Tertium Parcarum genus conſtituunt eae, quas ad quemlibet infantem, quamprimum naſceretur, accedere, quin ipſi puerperio praeeſſe, nato infanti ſpatium vitae deſignare, perpetuas cuſtodes et comites atque fortunae arbitras, eidem,

tota

tota vita adeſſe crediderunt. Et bonas et malas has eſſe cenſebant: illis felicis, his infelicis vitae vſum deberi. Ab his igitur Parcis ſomnia prouenire ſomniauerunt. His iungi poſſunt mortui, ſiue manes. Tot enim ſomniorum auctores fuiſſe feruntur, vt illorum numerus iniri nequeat. Hanc opinionem vix putat ortam eſſe e doctrina de transmigratione animorum, ſed potius ex ſententiis de diuina animi humani origine et natura, illiusque ad deos reditu.

Quo loco incidimus in ſententiam p. 120. Auctoris, profecto veram et prudentem. Recedit enim ab iis, qui, cum non diuerſa tempora attenderent, in recenſendis borealium populorum opinionibus omnia confuderunt atque permiſcuerunt. Ipſe vero ſapienter dicit: "Poſtquam fabulas reuolui, quas vtraque Edda et hiſtorici noſtri veteres ſeruarunt, easque et ſecum inuicem, et cum eis contuli, quae vetuſtioribus orientis populis credita ſunt, et denique ad diſcrimen attendi temporum, quod in his, ſi rite exponi debeant, obſeruandum recentiorum nonnulli monuerunt; tanta mihi viſa eſt in noſtris fabulis diuerſitas, vt omnes eiusdem nec ori-

ginis nec aetatis haberi queant." Acute triplicem temporum diuersitatem notandam esse monet. "Principio, antequam vera conditi vel restituti mundi religio penitus exstingueretur, gentis conditores, forte nondum septentrionem assecuti, agnouisse videntur supremum aliquod numen, quod vt coelum et terram, ita et animas condidisset, hasque mortuo corpore reciperet. Quamvis enim traditiones eorum antiquissimas Christiani fabularum Eddicarum compilatores ad suum sensum plurimum mutauerint; haec tamen primitiua opinio clare satis vbique pellucet. — Successisse huic doctrinae, lapsu temporum corruptae, altera videtur, quae supremum numen aut nullum agnouit, aut a mundi cura, si non ex omni, certe maxima ex parte, solutum; materiae autem, coelo inprimis et terrae, vim solum diuinam et facultatem reliquit genetricem vel procreatricem. — Facillimum esset, harum fabularum plurimas ex antiquissima populorum orientalium cosmogonia explicare, quemadmodum et illae communem et cum hac, et cum primis Sinarum originibus, in historia creationis, diluuii vniuersalis et sequentium proxime seculo-

ſeculorum, fontem produnt. — Tertiam formauit Odinus, non prorſus quidem nouam, ſed ex prioribus indigenarum dogmatibus conflatam, nouisque tantum acceſſionibus auctam, ſuo inſtituto aptiorem. Ante omnia populorum ſeptentrionalium, ad quos venit, ſimplicitas, et artium, his ignotarum, quas cum ſociis profitebatur, praeſtantia, viam ei aperuiſſe videntur, vt ſe et ſuos adſimularet aliis hominibus excellentiores, quin ex eo eſſe hominum primaeuorum genere, quod diuina generandi facultate ex materia prima eductum, diuina etiam virtute gauiſum aborigines noſtri crediderunt" etc.

Obſeruatio II. inſcribitur: *de geniis* p. 149. *hominum et familiarum tutelaribus, in ſpecie, ex doctrina borealium.* Copioſius hic ea explicat, quae ſupra de Parcis dixerat. Hae igitur deae, quae inde a primis natalibus hominem totam per vitam comitabantur, audiebant *Nornir*, etiam *Diſir*, apud hiſtoricos *Fylgior* quoque. Variis formis animalium, cum quadrupedum, tum auium, indutae, hominem, vbicunque erat, comitabantur, aut praeibant potius. Pro diuerſa animi indole diuerſi genii ho-

minibus dabantur: illuſtriores erectioribus ingeniis, ignobilioribus viliores. Immo quo quisque vel genere, vel dignitate, vel virtute clarior erat, eo digniore quoque forma ſe genius illius conſpiciendum praebuit. Duplex Parcarum erat munus: defenſio ſalutis et futurorum ſignificatio. Genii maiorum tranſibant ad poſteros, inprimis eos, ad quos imperium familiae, vel natalium iure, vel virtute, vel fortuna perveniret. Hinc familiarum, praeſertim illuſtrium, Parcae tutelares ab antiquis commemorantur. His ſingulorum hominum et familiarum fortunam deberi credebant. Inde intelligitur, quomodo apud boreales alter alteri ſuam fortunam comitem dare potuerit. Sic reges veteres fortunam ſuam ſatellitibus aliisque commodabant, non certi tantum negotii adminiſtram, ſed totius vitae ſociam. Illuſtriores enim viri ita Parcas has tutelares in poteſtate habere exiſtimabantur, vt aliena quoque negotia iis mandare poſſent.

Vtitur Auctor, vt apparebit cuique e ſpeciminibus allatis, ſermone parum eleganti, nec luculento orationis ordine argumentum expoſuit. Quare non ſatis iucunda

iucunda est libelli lectio. At res ipsas subtiliter examinauit, atque studio accurato antiquitatis monimenta adhibuit. Placet inprimis in Auctore summa solertia, qua diuersorum temporum diversitatem et proprias cuiusque aetatis sententias explorauit. Id quod parum curauerunt, qui Septentrionales antiquitates illustrare conati sunt. Quare eum vehementer hortamur, vt pergat hac via doctrinam borealium populorum de deo, rebus diuinis, animoque humano, explicare.

VIII.

Animaduersiones ad Platonis Phaedonem et Alcibiadem secundum; adiuncti sunt Excursus in Quaestiones Socraticas de animi immortalitate cum summa Phaedonis: auctore *Io. Christ. Gottleber*, AA. M. et Rector. Annab.

Lipsiae, apud Weidm. haered. et Reich. 1771. pagg. 199. 8.

Iucundiorem redditurum fuisse credimus operam, quam laudabiliter in Platone illustrando posuit, Virum Cl.

si vna cum animaduersionibus his Platonis verba edidisset. Sat enim luculentae hae sunt, difficillioribusque locis explicandis bene inseruiunt. Interim ille consuluit diligenter veteres editiones, e quibus varietatem lectionis excerpsit, addito de iis iudicio. Praecipue sensum verborum, vbi necessarium videbatur, ex vsu et consuetudine loquendi Platonis illustrauit. quod subsidium interpretationis Auctori adeo probatur, vt, nisi diligenti lectione cognitum habeamus, quem interpretari velimus, nihil probabile in medium adferri posse, recte iudicet. "Non parum, ait, ad recte interpretandum Platonem facit, vt, quid de eadem re alio loco disputarit, commode transferas ad rem praesentem. Inueni saepe eandem rem fere iisdem verbis in aliis dialogis, interdum magis perspicue enunciatam, praesertim in rebus subtilioribus, veluti de ideis; vnde nonnullis locis lux clarior adfusa." Nec praeteriit Auctor verborum elegantiam. multa bona de dicendi formulis monuit indicauitque inprimis fontem Homericum, vnde veneres non paucas hausit Plato. Quod vero ad sententias attinet, non solum distinxit Socraticam disci-

plinam

plinam a sententiis aliunde petitis, quas Plato libenter admiscuit dictis Socraticis, sed breuiter quoque nonnulla historiae Philosophicae capita illustrauit, laudatis semper, qui verbosius rem explicent, scriptoribus. Quorum inter libros vidimus etiam locum datum esse *Venerabilis Crusii Physicae.* quo certe loco notulam addere debebat Auctor, ne quisquam eorum, qui post nos erunt, forte turbetur, illumque Horatii versum adscribere; p. 100.

Vidi docentem, credite posteri!

Ad censuram quoque vocauit versionem Latinam Ficini, in multis locis vitiosam, subobscuram, nec satis mundam et puram, atque alteram Serrani, elegantiorem quidem illa, sed minus fidelem. Nec Franco-Gallicam et Theotiscam versionem neglexit. De versione vero Platonis conficienda quae dixit, valde nobis probantur. "Omnino Platoni optandus est interpres, Latine Graeceque doctissimus, qui omnes dialogos diligenter et eleganter conuertat, vt Platonis Latini amplitudinem, copiam, et ornatum non desideres, sed eum libenter nec sine voluptate legas. Eiusmodi editio Platonis cum versione pura, et no-

tis criticis breuibus, adiecta lectionis varietate, vtilis esset plurimis, non ita Platonicae elocutioni et disputandi rationi adsuetis, quales esse possunt, qui semper in legendo Platone versantur. Elegans et fidelis versio quoque vice breuis commentarii esse potest, vbi multa breuiter tantum hoc modo in notis moneri debent, quae lectori sagaci viam plura inuestigandi monstrant." Vtinam vero viveret summus *Gesnerus*, qui, quantus versionum bonarum faciendarum artifex esset, Lucianus illius ostendit, quique Philosophorum veterum sententias mente complexus erat illorumque opiniones acutissime perniderat. At eo e viuis erepto quem inter nos credamus huic operi perficiendo parem fore?

His animaduersionibus lectis atque expensis non vulgarem cum antiquitatis vniuersae, tum Graecarum litterarum scientiam in Auctore esse deprehendimus. Eundem rectam tenere vidimus antiquorum auctorum explicandorum rationem. nec solertiam nec diligentiam in quaerendis multis, comparandis inter se, atque examinandis, quae ad rem pertinerent, desiderari passus fuit. Ipse vero libel-

libellus vtilis omnibus est, qui Platonem aut ipsi legere, aut interpretari velint.

Nos vero in disputationibus paullo commorabimur, quas his animaduersionibus subiunxit. *Prima* continet. *Summam et οἰκονομίαν Phaedonis.* Recte vidit Vir Cl. non sine fructu descriptionem totius operis alicuius exhiberi, atque vniuersam corporis coagmentationem quasi retexi. "Quemadmodum, inquit, ad carmina, praesertim perpetua, velut diuinam Iliadem et Aeneidem, nec non Metamorphosin Ouidianam et alia recte intelligenda, eorumque elegantiam et pulchritudinem gustandam et sentiendam, valde prodest, summam vel totius operis adumbrationem tenere; ita in Platonicis dialogis vtiliter cognoscendis ad fructum vberrimum est, seriem dictorum et eorum οἰκονομίαν bene nosse, vt summa eorum statim sit in promtu. Hac enim ratione facile efficimus, vt non modo de rebus ipsis, quales et quomodo tractatae sint, sed et de arte, copia, ornatu et suauitate, per totum dialogum diffusa, de disserendi subtilitate, scribendi elegantia, pretio argumentis ipsis statuendo, moribus vniuscuiusque personae accomodatis,

p. 142.

datis, facili tranſitione a rebus variis ad rem primariam, eo melius iudicare poſſimus." Breuiter igitur et accurate argumentum dialogi Vir Cl. recenſuit. p. 155. Cuius artificium vt clarius intelligeretur, addita fuit *Breuis inſtitutio de dialogo Platonico et in primis de Phaedone.* Elegantiſſime Auctor hoc loco cum de dialogo eiusque natura vniuerſe diſputat, tum Phaedonis venuſtatem ante oculos ponit. Neque eſt melior hac via ingenium adoleſcentum ad artem optimorum ſcriptorum conformandi, neque illuſtrius excellentiſſimi ſcriptoris exemplum commendari poteſt. "Mihi quidem, recte Noſter ait, inter Philoſophos veteres Plato ſemper idem viſus eſt, qui inter poetas Homerus habetur, ingenii elegantia, arte et copia dicendi longe praeſtantiſſimus, quem antiquitas magis obſeruauit, ſuſpexit et imitando exprimere aggreſſa eſt, quam noſtra tempora, vbi plerique hanc diſciplinae ſeueritatem aut nolunt, aut potius nequeunt Platonica copia, ſuauitate, amplitudine et vbertate dicendi temperare. Laudandum an vituperandum hoc potius ſit, neſcio; nec, ſi ſciam, dicere auſim. Hoc ſaltem mihi per-

ſuaſum

ſuaſum eſt, Platonem in rebus philoſophicis apte, ornate, copioſe et perſpicue tractandis, ſi diſceſſeris a quibusdam paullo abſtruſioris argumenti dialogis, veluti Parmenide et Timaeo, et ſubinde ab aliis, eundem eſſe fontem atque Homerum in arte fingendi, ex quo poetae, qui fuerunt, ſunt, eruntque, probabilia dicta ſua hauſere." Neque hac laude, merito Platoni data, contentus eſt Auctor: ſed oſtendit quoque, cur illa dignum exiſtimet Platonem. Cum igitur dialogo pulchritudinem maximam conciliet fabula, ſiue actio fabulae, qua lector praeparatur ad quaeſtionem, cum re, in facto poſita, congruentem, quaque fit, vt res agi, non tanquam in ſchola aliqua explicari videatur, vt lectores inter ipſos Philoſophos ſe verſari credant; hac in re Platonem magnum eſſe artificem docet. Dicendi principium, a facto quodam deſumtum locoque temporique conſentaneum, tanquam citharoedi prooemium ſuaue, per totum dialogum diffuſum cum quaeſtione primaria ita cohaerere, vt cum omni corpore vnum videatur eſſe membrum. Huius fabulae quaſi theatrum diuerſum pro argumenti diuerſitate

tate a Platone eligi. Eiusmodi disputationi, qualem Phaedo contineat, non potuisse locum aptiorem dari carcere: contra Socrati, de pulchritudine, vt est in Phaedro, differenti, mire convenire illam platanum, patulis ramis diffusam, aquila pellucida et murmure gratam. Sic in reliquis dialogis diligenter, quid deceret, obseruasse Platonem. Porro attingit illam venustatem, qua fit, vt disputationes iocis liberalibus et suaui quadam ironia condiantur, et vnde Attici sales et lepores cognoscuntur. Nec praeterit artem, a rebus, in facto positis, vilibus primo adspectu, occasionem materiemque grauioris disputationis arcessendi. Platonem non solum in Socratis moribus adumbrandis se egregium humanae naturae aestimatorem declarasse, sed et reliquorum, quos in dialogis loquentes fecerit, rationem habuisse. Imagines animorum, quales in dialogis illis conspiciantur, non fictas, sed a natura ipsa formatas esse. Platonem non vmbrae, sed vitae humanae vsibus scripsisse suos dialogos. Non minus apte Platonem disputationem loco, tempori et externae hominum conditioni accommodasse.

Quo

Quo loco dissimulatio illa, seu εἰρωνεία, qua alia dicit Socrates, alia sentit, exponitur; etiam illa ratio disputandi, quae dicitur μαιευτική, atque altera, quam ἀναλυτικὴν appellant, affinis illi. Tum ad elocutionem ipsam progreditur, ad vrbanitatis, copiae, pulchritudinis naturalis laudem. Haec omnia explicantur ab Auctore sic, vt cum voluptate illius disputationem legas. Nos vero duo prae aliis hinc repetemus. Notum est, Platonem in plurimis dialogis iunxisse differentes, qui non vno tempore vixerunt. Parmenidis senectus vix in Socratis pueritiam incidit. Idem de Phaedro, qui Socratis aequalis non fuit, et de Timaeo viri docti obseruarunt. Hac de re sic iudicat Vir Cl. "Nolumus haec omnia cum Macrobio, qui cum magno viro errare maluit, defendere. Philosophi, qui res serias et graues inter se tractant, non tam facile possint veniam poscere, vt poetae, qui delectant lectores, iisque non tanta disciplinae seueritate prodesse videntur. Nonne potius fuerit, et in his ἀκρίβειαν quandam obseruasse? Quodsi forte excusari possit haec neglecta temporis ratio, eatenus id fieri posse putem, quod ei in tam va- p. 161.

riis

riis ſubtilibusque rebus homines tam docti, qui non vana et leuia adferrent, eligendi erant, vt dialogo et hactenus grauitas quaedam conciliaretur. Socrati, qui in omnibus dialogis doctoris partes agit, et, ad ſimilitudinem chorj, dubitantes et vagantes opinionum ſuarum fluctuatione regit et coercet, parum honorificum fuerit, ſi cum ignobilioribus philoſophis et hebetioris ingenii hominibus diſputaſſet, ab iisque victoriam reportaſſet. Quod igitur Plato Socratem, facile principem inter Graecos philoſophum, nobilitandum ſibi ſumſerat, eius aduerſarii etiam non imbelles homines eſſe poterant. Et forte ea aetate, qua Plato ſcripſit hos dialogos, non tam ſubtiles exſtitere philoſophi, qui ſatis digni eſſent, qui cum Socrate de rebus metaphyſicis diſputarent." Secundo lo-
p. 162. co recte nobis iudicare videtur Vir Cl. de Socratis, qualem Plato expreſſit in dialogis, imagine. Magnam ait eſſe differentiam Socratis Xenophontei et Platonici. Platonem Socrati ſuo multa adfingere, quae cum ſimplicitate Socratica et philoſophia populari, quae deprehendatur apud Xenophontem, minime conueniant. Miſcuiſſe eum So-

cratica cum Aegyptiorum fabulis, et Pythagorae, Parmenidis, Heracliti, Empedoclis, Orpheique opinionibus. inde valde dolendum esse, in Phaedone Platonem tam pulchram de immortalitate animi institutionem deformasse multis nugis, cum eam longe pulchriorem simplicitate Socratica efficere potuerit. Non tam fideliter Socratis mores ex Platone posse cognosci, quam e Xeonophonte. Non raro enim nugas et inania apud Platonem illum captare, nec multum differre a sophista. "Quod si vero talis fuerit, pergit, vt eum Plato finxit hinc et inde; Aristophanis ioci illiberales in Nubibus de eius quaestionibus non altius repetiti videantur." [In tota hac de elegantia, arte et facundia Platonis disputatione video Auctorem ignorasse praeclarum *Iacobi Geddesii* librum, in quo idem argumentum tractatur (*). Toto enim in libro nil agitur aliud, quam vt praestantia Platonis illustretur. Hinc, quam rationem pugnandi contra Sophistas tenuerit Socrates, quomodo argu-

(*) *An Essay on the Composition and Manner of Writing of the Antients.* Glasguæ, 1748.

argumenta et ſententias ad hominum genera moresque accommodauerit Plato, quam ſit genus orationis facile, naturale, amoenum, conditum iocis delicatis, quantum placeat Socratis feſtiuum ingenium et placida hilaritas, quam exhilaretur ſubtilitas et ſeueritas diſputationis aculeis ſatyrae et frequente ironia, idoneis exemplis et accurate docet auctor. Inprimis perſequitur Platonis ſtilum poeticum et Homericam imitationem, in deſcriptionibus rerum viuis, in ipſis verborum numeris ad naturam rei accomodandis. Non memini me legere librum, in quo ſubtilius Platonica ratio examinetur, aut quo felicior meliorque ad eum recte cognoſcendum aditus muniatur. Digniſſimus ille liber eſt, qui Latinum in ſermonem transferatur. Sed famelici homines gerras et nugas Franco-Gallicas quam vtiles
p. 173. libros vertere malunt.] Vltimo loco poſiti ſunt *Excurſus VII in Phaedonem*; in quibus loca quaedam difficiliora copioſe illuſtrantur. Praecipue examinantur argumenta, quibus immortalitatem animi oſtendere voluit, Plato, quantumque iis pretium ſtatuendum ſit, docetur.

IX.

IX.

Vberioris commentationis de Claudiani carmine, de raptu Proserpinae inscripto, specimen: auctore *Bernhardo Georg. Walchio*, Instituti Historici Gotting. Sodale.

Gottingae, litter. Barmeierian. 1770. pagg. 80. 4.

Copiosum parat de Claudiano commentarium ingeniosus et doctus libelli huius Auctor, in quo illum se non cum Virgilio solum, sed etiam cum Statio, Lucano, Valerio Flacco, Silio Italico comparaturum esse promittit. Haec comparatio, si recte instituta fuerit, non poterit non multum cum iucunditatis, tum voluptatis habere. Etenim illa ostendet, cum quantum absit Claudianus a limato, modesto et eleganti Maronis ingenio quantumque ad illud accedat, tum quem locum teneat inter eos, qui a pristini aeui nobili simplicitate et verecundia recesserunt. Non imparem esse credimus eiusmodi disputationi auctorem nostrum. Namque ex hoc libello apparet, illum assidua lectio-

ne cognitum habere Claudianum, nec vulgarem earum rerum, quibus haec studia continentur, scientiam tenere. Interim quid nunc egerit, videamus.

p. 8. *Cap. I. Claudiani carmina omnibus temporibus placuisse narratur: Eruditorum de eo iudicia examinantur.* Habuit Claudianus aetatis suae admirationem: memoria etiam lausque poetae funestissimis Graecis et Latinis litteris temporibus viguit, atque pristino honore litteris reddito a plurimis celebratus ornatusque is fuit. Antiqui quidem Christiani scriptores Claudianum amauerunt ob sententiarum copiam vtilissimaque de moribus et vita praecepta. Recentiorum, qui in laudando Claudiano conspirauerunt, non pauci recensentur, cum illustratis tum refutatis interdum illorum sententiis. Quo loco non persuasit nobis Auctor, errasse Rapinum et Merianum, qui desiderarent in Claudiano illam verborum iuncturam lenem, numerorumque iucundam varietatem, quae Virgilii lectores suauissime afficit. Denique ipse subiunxit imaginem Claudiani, quasi in vna tabula complexus, quae antea de eo dixerat, omnia. Vt sententia Auctoris et iudicium cognoscatur,

totum

totum locum adſcribemus. "Summum p. 21.
ſane elegantiſſimumque ingenium Claudiani
carmina exprimunt, ſed non ſatis
formatum et elimatum. Vbicunque
ſeſe vertat, luxurians et luxuriandi ſtudio
captus in rebus paruis eadem ingenii
vi, eadem ornatus vbertate verſatur
ac in magnis. Magno ſpiritu incedit,
ſed ardente ſaepius atque efferueſcente,
eoque omnia complet. Extollit ſe,
ſed adeo, vt non ſemper lento gradu
humum redire poſſit, ſed labi debeat.
Accedit mira et rerum copia et varietatem
doctrinae oſtentandae ſtudium,
qua quidem et deſcriptiones et conciones
ſuas adeo offundit, vt non tam voluptatem,
quam admirationem in nobis
excitent, et vt animus, in illuſtrandis
iis et commode explicandis defixus, earum
dulcedine non tam capiatur et delectetur,
quam ad aliarum rerum notiones
et imagines rapiatur. Eſt vero
in orationibus artificioſus et grauis, abundans
et virilis, ad animum ſiue incitandum,
ſiue reflectendum, atque ad motus
ſiue inflammandos ſiue reuocandos
aptiſſimus. In deſcriptionibus deinde
frequens, non ſemper quidem limatus,
pulchrarum tamen imaginum varietate

 per-

perfusus: Virgilio quidem in adumbrando effusior sed maturior Statio. In sermone porro concinnus, floridus et compositus omnium rerum, in quas incidit, naturam aptissimis epithetis exhausit, adeo cultus praeterea, vt inter omnes temporum illorum poetas vnus maxime ad Virgilii maiestatem accedat, recondito tamen quoque et haud vulgari verborum vsui studiosus. Excellit, sed nunquam magis, quam si cum terrore aliquo incedit; delectat, sed clarissimis maxime sententiis, quae ad sensus nostros atque ad animum maximam vim habere possunt. Aptus deinde ad carmen componendum in nullo carminum genere plus valet quam in historico; narrare vero consuetus in epico carmine non cum ea inueniendi, collocandi, atque exornandi arte, quae carminis dignitati conuenit, versari videtur. Magnus igitur poeta, sed varius; nam vt virtutibus eminet, sic obrutus est quoque vitiis, laudandus igitur et vituperandus. A primis vero inde annis, quum e schola Alexandrina egressus esset, in vitiis illis imbutus, plus admirationis quam contentionis, plus laudis, quam vituperii omnino meretur."

Cap. II. de Claudiani carmine, de raptu Proserpinae inscripto. Nullo putat e carmine melius de ingenio Claudiani iudicari posse. Inde vernaculae versionis specimen proponit, e qua ordo carminis et compositio cognoscatur. Adspersit quoque animaduersiones nonnullas, in quibus versionem Franco-Gallicam, ante aliquot annos a Cl. *Meriano* euulgatam, ad censuram vocat. p. 22.

Cap. III. Claudiani carmen ad epicas regulas exigitur, et, quae virtutes, quae vitia in eo insint, examinatur. Omnino hoc carmen ad epicum genus referendum esse monet, carminisque ambitum, dispositionem, atque ordinem poesis heroicae naturam atque oeconomiam, regulis constitutam, referre. Quod vt clarius appareat, comparat hoc carmen cum eadem, quam Ouidius de raptu Proserpinae narrauit, fabula (*Metam. V.* 341. *sequ.*) atque vtriusque poetae in narranda, disponenda, atque exornanda fabula rationem examinat. Tum quaerit, naturaene carminis epici conueniat an aduersetur argumentum carminis Claudianei? sitne hoc tale, in quo poeta cum dignitate et vtilitate versari possit? Quomodo hanc quaestionem ex- p. 38.

 plicet,

plicet, ipſius Auctoris verbis narrare p. 42. iuuat. "Eam, inquit, fabularum, quae heroum antiquorum res geſtas complectuntur, (ad quas Valerius Flaccus quoque accedit) doctrinam, non mythologiam eiusmodi argumenta, in quibus poeta recte verſari poſſit, praebituram eſſe arbitror. Non enim in tractanda diuina fabula eadem licentia vti poteſt poeta, ac in humana, niſi aliquid a doctrina, quam de ſuperis tradebant veteres, alienum proferre velit: non licet denique deos, quando ipſi agunt, ita proponere atque inducere, quam ſi hominum modo actiones regunt et diſponunt. Ex poetae ſaltem exemplo elucebit, eiusmodi materiae, ex mythologia exhauſtae, tot et tantas difficultates inhaerere, quot et quantae vix a quocunque poeta tolli poſſint. Infecunda enim et ingrata ea eſt, quae poetae ingenio nihil paene offert, et quum anguſtiore gyro coercetur, multo plus laboris, artis et ſubtilitatis ea requirit, quam vllum, quod hiſtoria exhibere poteſt, argumentum. Materiam igitur, quam Claudianus tractauit, Poeſi heroicae dignitati non conuenire puto."
[Non nego, de quibusdam me longe aliter

aliter ſentire. Primum enim quod dicit, non *dignitati* carminis epici reſpondere tale argumentum, hoc credo auctorem nemini perſuaſurum eſſe. Nam ſi eo maior eſt perſonarum dignitas, quo illae potentiores, auguſtiores, perfectiores ſunt, nonne ſumma dignitas ineſſe debet carmini, cuius argumentum coeleſte et diuinum eſt: id eſt, quod complectitur res geſtas et ſermones deorum? Deinde non cogitaſſe videtur, e doctrina Graecorum et Romanorum, eosdem affectus diis tribui poſſe, quibus homines agitantur. Nonne igitur vigor accedit carmini? Immo quo potentiores dii, eo vehementior illorum affectuum, ſi erumpunt et ſeſe produnt, vis, eoque maiore quaſi ſpiritu carmen animabitur. Porro non licebat quidem plane alios fingere deos, quam eos religionis doctrina oſtenderet. At nonne ingenio poetico in cauſis retexendis, in apparatu deſcribendo, in ſermonibus fingendis, in tot aliis rebus, quae nec naturae deorum nec veritati aduerſabantur, praeclariſſima offertur occaſio, diuitias ſuas oſtendendi? Denique probe diſtinguere debebat Auctor antiqua tempora a noſtris. Sed dum hoc neglexit, etiam

in ſequentibus lapſus eſt.] Eſſe in Claudiani carmine multa, quae placeant, et animum commoueant: ſed haec eos maxime mouere potuiſſe qui eodem, quo Claudianus, tempore vixerint eandemque diuinarum rerum doctrinam ſecuti ſint. "Quamuis vero, pergit, materia eo, quo mens noſtra moueri atque delectari poteſt, maxime indigeat; tanto tamen cum artificio in ea verſatus eſt poeta, quanto in arida et ſicca materia potuit. Ad maiorem animi voluptatem rem non ſolum inueniendo ac collocando, ſed et coloribus pigmentisque, ab iis rebus, quae nos afficere poſſunt, petitis exornauit, et non ad fabulae modum eam tractauit, ſed in rem inter deos omnino geſtam commutauit." [Vellem clarius et accuratius hic opinionem ſuam Auctor explicuiſſet. Si ſubtiliter rem examines, videtur Auctor ſibi ipſe aduerſari, et ea tollere, quae paullo ante poſuit. Tum quomodo materiam *ſiccam et aridam* appellare potuit? Nonne res inter deos agitabatur? nonne amor, triſtitia materna, timor, cura, cupiditas vltionis, ſpes, alii affectus inſunt huic hiſtoriae, ſi hiſtoriam nudam quoque conſideraueris? Iniuſte agit, qui de antiquis carmi-

carminibus e suae aetatis, suae patriae moribus et ingenio iudicat. Non poetae culpa est, si mutatis sententiis moribusque nos minus iis moueamur. Opera nobis danda est, vt redeamus ad pristinam aetatem et mores induamus animosque hominum, inter quos poeta vixit. Toto in capite hoc non placuit Auctor. Nec accurate satis rem examinauit, nec satis perspicue suas sententias explicuit. Retractandum est totum caput, delenda alia, alia emendanda.]

Cap. IV. de Claudiani sermonis indole. Vniuersim laudat Claudiani dictionem atque inter omnes suae aetatis poetas proxime eum ad Virgilium accessisse iudicat, siue verborum collocationem spectemus, siue orationis cultum et puritatem. Fatetur tamen, inesse epithetorum quandam luxuriam; nonnullasque formulas nimium studium prodere. Excellere illum suauissimis descriptionibus, figuris, ornamentorumque vbertate: comparationes prope omnes aptas esse atque rebus accommodatas: non infelicem Virgilii imitatorem multis in locis esse Claudianum. Haec loca adduntur et recensentur. p. 64.

X.

Του Τζετζου τα προ Ομηρου τα Ομηρου και τα μεθ Ομηρον εν συντομωι εκδοθεντα: Ioannis Tzetzae Carmina Iliaca, nunc primum e codice August. edidit *Gottl. Benedict. Schirach.*

Halae, sumtu Io. Iac. Curtii, 1770. pagg. 8. 8.

Horum carminum edendorum iam consilium ceperat, patrum memoria, *Petr. Dan. Huetius*, antiquarum litterarum eo tempore in Gallia peritissimus: partem aliquam euulgauit *Dodwellus*, in libro *de veteribus Graecorum et Romanorum cyclis*. Iam produnt ea e codice Augustano, edita a viro egregio, *Schirachio*, qui humanitatis litteras in Academia Helmstadiensi magna cum vtilitate iuuenum, nec sine nominis sui, chari nobis multas ob causas, gloria et laude, docet. Sed non omnia habuit ille codex. Nam et versus quidam desunt, non procul ab initio carminis, et tertia pars, quae *μεθομηρικα* complectitur, plane desideratur. Inde Noster tantum versus, a Dodwello euul-

euulgatos adiecit. Hos ſumſit Dodwellus e codice bibliothecae Regiae Londinenſis, qui totum carmen continere videtur. Praeterea Auguſtanus codex litteris parum luculentis exaratus eſt; compendiisque ſcribendi perpetuis ita deformatus, vt vix oculi verborum lectionem aſſequantur. vnde lectionum corruptarum maximus numerus eſt. Quas vt emendaret, non ſolum ipſe *Schirachius* breues ſubiunxit notulas, ſed addidit etiam coniecturas *Mori*, Profeſſoris Lipſienſis eruditiſſimi. Verum eſt, his coniecturis tolli multos errores, ſenſumque non paucorum verſuum reſtitui. Sed et reſtant corrupta loca multa, quibus emendandis, cui volupe eſt, ingenii gloriam aliquam quaerere poterit, et operarum errores foedi obſcurant non raro ſenſum verborum. Interim vel ſic iuuat, haec carmina edita in manibus habere. "Eſt fortaſſe, inquit optimus *Schirachius*, inter tot mediocria, et vilia noſtrae aetatis carmina, quae Germania ſingulis annis parit, aliquot verſibus non optimis antiquioris aeui locus. Si vnquam, non male locuta eſt Chriſtina, Sueciae regina, cum iudicaret, antiquas ineptias certe non mi- p. 77.

noris fieri debere, quam nouas (*). Praeterea illud Tzetzae opusculum prodit genium seculi sui, atque adeo in re litteraria, nec non ingenii humani historia locum quendam poscere sibi videtur." Praesertim vero ideo hoc carmen non indignum est, quod legatur, quia Tzetzes sua hausit ex antiquissimis Epici cycli Poetis, vetustisque eorum Scholiis. vnde etiam occasionem cepit Vir Cl. in praefatione perdocta accuratius agendi de cyclicis poetis, quam ab aliis factum est. Praeter alia, quae eleganter monet, illud studium, actus quasi varios fabulae Troicae describendi versibus, dicit ex errore ortum esse, quo ductos permultos non intellexisse ait, quid Homerus sibi in Iliade proposuerit. Neque enim illum iram Achillis, malaque inde orta canere voluisse putabant, licet poeta clare consilium in ingressu operis professus sit, sed totum bellum Troianum eum narrare debuisse somniabant. Vbi igitur quaedam desiderari animaduertent, quae ad belli Troiani historiam pertinere censebant, male ea iudicabant omissa esse a poeta, ipsique haec, nimis profecto libera-

(*) *que les sottises anciennes valoient bien les nouvelles.*

liberaliter, addere ſtudebant. Hinc varia prodierunt carmina; hinc Tzetzae quoque hos verſus ſcribendi conſilium ſubortum fuit. De quibus ſic iudicat Noſter, vt decet ingenuum iudicem et candidum Criticum. Ipſum ait dicendi genus ſat Graecum eſſe et purum. Hauſit enim Tzetzes plurima verba et pleraſque dicendi formulas ex Homerico fonte. Sed artem, ſententias apte inter ſe iungendi, conglutinandique quaſi omnes carminis partes ſic, vt vnum inde corpus coaleſcat, non potuiſſe addit Tzetzen a patre poetarum diſcere. Inde confugit ſemper ad verba ἔπειτα et ἀυτὰρ, quorum repetitione lectores fere enecat, nec hac parte diſſimilis cyclicis poetis. Ingenii poetici nulla, certe perobſcura, veſtigia Vir Cl. deprehendit, coloris nullam curam, mentis diuinioris, oris magna ſonantis, venae bonae aut nulla aut tenuiſſima veſtigia. Ingenii inopiam procul dubio compenſare Tzetzes voluit eruditionis copia, cuius oſtentandae nullam occaſionem omiſit. Hinc exemplis et nominibus clarorum hominum cumulandis admodum delectatur. Vehementer quoque placuit ſibi in deſcribendis formis mulierum

lierum virorumque, vt ſolent aeui deterioris poetae, abhorrentes a ratione diuini Homeri, qui licet nunquam Helenae faciem deſcripſerit, tamen, cum Troiani ſenes non indignum putarent, Graecos Troianosque tot mala tam diu ob Helenam pati, ſummam de illius pulchritudine opinionem expreſſit. Haec de carmine. Scholia ſuis verſiſibus addidit Tzetzes ſat verboſa. In iis moneri quaedam videmus, ad hiſtoriam Troiani belli pertinentia, quae nos non meminimus alibi legere.

XI.

Theophili Sigefridi Bayeri Opuſcula, ad hiſtoriam antiquam, Chronologiam, Geographiam et rem numariam ſpectantia.

Halae, ſumt. I. I. Curt. 1770. pagg. 572. c. tab. aen. VIII. 8.

Nondum obſoleuit inter nos magna *Bayeriani* nominis gloria, optimis artibus parta et moniimentis praeſtantiſſimis conſignata. Lubenter enim *Bayerum* ad eos referimus, qui Germaniae hono-

honorem ingenii et doctrinae laudem, etiam apud exteros, asseruerunt. Natus ille fuit Regiomonte, superiore seculo, anno XCIV. Gens Bayeriana in Hungaria olim floruit, inde eiecta pontificiorum sacerdotum, quorum furor ibi non semel in caede fratrum bacchatus est, immani crudelitate. Noster inde a prima aetate orientis linguas amauit, quibus Sinicarum litterarum studium adiunxit. Harum enim ope antiquitatis, cum vniuersae, tum Christianae, memoriam illustrandi consilium ceperat. Mox, cum valetudinis curandae caussa Gedanum venisset, Ioanne Sartorio auctore se historiarum, Critices, vno verbo humanitatis studio dedit. Editis vero Regiomonte doctrinae speciminibus quibusdam, Senatum vrbanum commouit, vt publice itineris faciendi in Germaniam copiam nancisceretur. In hoc itinere et didicit collegitque multa, quibus vsurus erat olim, et nonnulla egit, quibus ingenii laudem sibi conciliaret. Nam symbolas ad *Acta Eruditorum* contulit, quae Menkenio adeo probabantur, vt Lipsiae retinere Bayerum cuperet. Sed noster domum properauit, scholasque aperuit Graecarum litterarum stu-

diosis. His ille interpretari Homerum, Platonem, Theocritum: his multa antiquae doctrinae capita egregie explicare. Nec defuerunt huic diligentiae praemia. Nam Senatus Bayero bibliothecae curam detulit, atque locum inter scholae vrbanae magistros. Quo munere functus fuisse fertur sic, vt omnibus fidem probaret et indefessum studium. Ecce vero a. XXVI. praeter omnem spem atque opinionem Bayerus Petropolin vocatur, quae vrbs, dignum conditoris magnitudine monimentum, in sinum suum tum recipiebat Academiam, virorum doctissimorum ingeniis florentissimam. His Bayerus, Graecarum Latinarumque antiquitatum professor, addebatur. Atque erat profecto Bayerus singulare ornamentum Academiae, a qua nemo vulgaria exspectat, aut nota et cuiuis obuia, licet vera sint et vtilia, postulat; a qua cupimus proferri fines doctrinarum nouaque regna antiquo imperio addi. Petropoli florebat multorum gratia, quique tum recte iudicabant de ingeniis, sic existimabant: esse Bayero principem locum inter eos concedendum, qui ingenii vi, doctrinae copia, acuminis subtilitate humanum genus ornauerint

nauerint iuuerintque. Huius de ſe iudicii honorem comparauerat ſibi egregiis libris. Nam, praeter minora opuſcula, e numis illuſtrauit *Hiſtoriam Oſrhoenam et Edeſſenam*, explicuit *Hiſtoriam regni Graecorum Bactriani*; aperuit *Muſeum Sinicum*, liberaliter inſtructum, multaque rerum varietate diſtinctum: nec pauca alia ſcripſit, in Commentariis Academiae propoſita. Meditabatur plura, conſiliaque de litterarum incrementis augendis ſaluberrima agitabat. Sed haec omnia turbauit et intercepit mors repentina. Obiit Bayerus a. MDCCXXXVIII; non ſine ſummo dolore omnium, qui, quantam iacturam in illius anima res litterarum faceret, intelligebant. Nec credimus iniucundum fore ſtudioſis verae doctrinae hoc, quod non pauca opuſcula complectitur, volumen. Habet vero illud ea, quae ad temporum antiquam rationem, ſcriptores Graecos atque Latinos, hiſtoriam veterem numosque priſcos pertinent. Cauſae vero, cur credamus lubenter accepturos eſſe viros doctos hoc volumen, hae ſunt. Primum horum libellorum eſt ſumma praeſtantia, cum quia multa iis explicantur, quae aut nun-

quam antea, aut minus recte ab aliis tradita sunt; tum quoniam exquisitam eruditionem produnt. Eminet non solum in Bayeri libellis admirabile ingenii acumen, quo, quid cuique rei veri insit, facile assequimur, sed fuit etiam in eo illa animi pertinacia atque constantia, quae, semel in quaerenda veritate defixa, non fatigatur, non languescit prius, quam finem propositum assecuta fuerit. Quid dicamus de multiplici, qua pollebat, doctrina, quid de tot linguarum scientia, quid de accurata optimorum librorum cognitione? Omnia enim haec in Bayero fuisse, nemo, qui illius libros legerit, negabit. Hi vero libelli, tam egregie scripti, tanta laude digni, non omnium in manibus adhuc erant, qui illos praedicari audiuerant, et, vt eorundem sibi copia fieret, optabant. Alii continentur Commentariis Academiae Petropolitanae, quos, cum digno maximi imperii splendore sint adornati, quotusquisque est in tam lauta re constitutus vt sibi paret? Praeterea ea volumina plures complectuntur, longeque diuersi argumenti libros, quos poenitet emisse eum, qui a Botanicis aut Physicis alienus est. Alii libelli se oculis

lis manibusque hominum ſubduxerunt, ipſius etiam auctoris culpa, qui libelli *de numo Rhodio* octo tantum et quadraginta exempla edi paſſus eſt. Sed allicit facile viros doctos argumentorum varietas et praeſtantia. Quare adſcribemus titulos libellorum.

I. de Venere Cnidia in crypta conchyliata horti Imperatorii ad aulam aeſtiuam et in duobus numis Cnidiis. II. Numi duo Ptolemaei Lagidae explicati. III. Numus Aegienſis explicatus. IV. Numi decem Erythraeorum in Ionia illuſtratus. V. Numus Gyrtones, vrbis Theſſalicae, illuſtratus. VI. de origine et priſcis ſedibus Scytharum. VII. de Scythiae ſitu, qualis fuit ſub aetatem Herodoti. VIII. de muro Caucaſeo. IX. de Cimmeriis. X. Chronologia Scythica vetus. XI. Memoriae Scythicae ad Alexandrum Magnum. XII. Conuerſiones rerum Scythicarum temporibus Mithridatis Magni et paullo poſt Mithridatem. XIII. Faſti Achaici. XIV. Faſti Achaici illuſtrati. XV. de Baragis. XVI. vetus inſcriptio Pruſſica. (Hi libelli, quorum titulos commemorauimus, petiti ſunt e Commentariis Acad. Petropolit.) XVII. de inſcriptio-

nibus Iudaeorum Graecis et Latinis (Regiomont. 1721.) XVIII. de numis Romanis in agro Prussico repertis. (Lipsiae, 1722.) XIX. Epistola de Theophrasti Delii Praesidis monimento. (addita libello praecedenti prodiit.) XX. de numo Rhodio, in agro Sambiensi reperto, in qua simul quaedam de numis Romanis in agro Prussico repertis cogitata retractantur. (Regiom. 1723.) XXI. de fontibus eruditionis et sapientiae Graecae. (Regiom. 1722.) XXII. de Venedis et Eridano fluuio. XXIII. de Numo Musei Imperatorii Amideno. XXIV. de duobus diadematibus in Museo Imperatorio. Tres libelli, vltimo loco recensiti, sumti etiam sunt e Commentariis Academiae.

XII.

De dictionis Polyaeneae virtutibus et vitiis differit M. Georg. Frid. Kronbiegelius. (disputatio Academica) Lipsiae, ex offic. Langhemian. 1770. pagg. 31. 4.

Ingenue et vere de Polyaeno iudicat doctiss. *Kronbiegelius*, qui hoc libello

bello pulchram de ſuo ingenio et doctrinae ſpem opinionemque in animo noſtro excitauit. nam accurate ille ſcriptus eſt, indicatque cognitionem Graecarum litterarum non vulgarem. Non eſſe dicit Polyaenum nimis magni pretii ſcriptorem, qui ex antiquioribus conſtruxerit ſuum opuſculum: plerumque eundem, niſi vbi integras ex antiquiore aliquo ſcriptore particulas delibauerit, incidere in orationis peregrinitatem aliaque dictionis vitia. Sed vel hinc eum aliquid commendationis habere, quod ad ſuperiorem elegantiam adſpirare ſit conatus. Et eſſe Polyaenum ſaepius deformem non tam ſua culpa quam librariorum errore. Quare dicendi de Polyaeno initium capit Vir Cl. a recenſendis codicibus, manu exaratis, quibus ad illius editionem et emendationem viri docti vſi ſunt. Non indiligenter hoc egit, et idonea exempla lectionum attulit. Tum ad Vulteii interpretationem progreditur, non prorſus improbandam, pro ratione illorum temporum, immo interdum elegantem, ſed pueriliter ſaepiuſcule verbis adhaerentem. Interim illa verſio docet, quas lectiones Vulteius in libro ſuo habuerit atque adeo ad emendatio-

nem corruptorum locorum non inepte adhiberi potest. Quibus monitis, dictionem Polyaeneam ipsam examinat. Docet, eum imitatum esse Herodotum, Thucydidem, interdum Demosthenem, multaque ab illis vsurpata verba orationisque fingendae formas sumsisse. In singulis verbis saepe reperiri, quae habeant aliquid reconditi et exquisitioris in significando, certe efficaciae in eloquendo. Formulas dicendi Atticas occurrere bene multas, atque etiam Atticas nominum et verborum formas ab illo seruatas esse; licet interdum quoque recedat a vera et seuera illa dialecti Atticae norma. Quo
p. 22. in loco dum Auctor versatur, placet sententia illius verissima, quibusdam nostrae aetatis Criticis etiam atque etiam inculcanda. "Omnino, vt hoc obiter addamus, Grammaticorum veterum tractandorum ratio est haud semper expedita, schola optima Hemsterhusii notae ad Hesychium et Thomam Magistrum, interdum Abreschii, non item Witteri et Stoeberi, qui et ipsi habent multa bona. Errauerunt sane et illi ipsi haud raro, ipsi illorum principes, vt Phrynichus, quem vt elegantissimum Atticae elegantiae censorem praedicarunt homi-

nes eruditiſſimi, nec non Ammonius, Moeris. Neque tamen ego id cum non nemine ad contemtum hominum Graece doctiſſimorum trahi, imbecillitati potius humanae condonari velim. Ne quis mihi amplius illos corrigat ex ſcriptoribus, qui Ionica aut Dorica dialecto vſi ſint, neque ex recentioribus, vt Luciano, Dioſcoride, Galeno, et qui ſunt huiusmodi plures, ſed, et inprimis, ex Ariſtophane, ex Thucydide, quos, vt ſcriptores veteris Atticae Dialecti, veram Atticiſmi normam eſſe voluerunt ſeueri illi Critici, Phrynichus inprimis, tum vero ex Xenophonte, Platone, Demoſthene et aliis, qui recentiori dialecto Atticorum annumerantur. Neque tamen ex his ipſis vnum exemplum aliquod, quod non conſentiat praeceptis magiſtrorum illorum, ſi vel poſſit afferri, ſtatim valet ad eos erroris arguendos. Tanta cautione opus." Redeamus ad Polyaenum. Is, in quibus verbis talis eſt actionis ſignificandae conditio, vt vix vllum a Medio poteſtatis diſcrimen accedat, eorum Mediam formam actiuae praetulit, exemplo optimorum ſcriptorum. Orationi gratiam quaeſiuiſſe videtur, iisdem verbis repetendis, atque adeo tin-

nitu quodam ſonoro auribus titillandis. Nec abſtinuit ab vſurpandis, quas Figuras vocant, Aſyndeto, Pleonaſmo, etc. Verba in Polyaeno reperiuntur rariora alia, alia recentiora. Sunt et multa, quae ipſe, ſcriptor recentior, ex Latinorum lectione hauſiſſe, et quaſi tranſtuliſſe videtur. Inſunt verba poetica. Denique Sophiſtarum quoque notas liber praeferre videtur. Haec de dictione Polyaeni. Vltimo loco Auctor recenſet editiones Polyaeni, et, quid quisque ad ſcriptoris verba emendanda contulerit, commemorat. Recentiſſimae Polyaeni editionis nunquam animaduerti Auctorem mentionem feciſſe (*). Ignorauitne eam, an, quia, e Maſuiciana expreſſa, ad ipſam Polyaeni orationem emendandam parum facit, praeteriit?

(*) *Polyaeni Strategematum libri octo, recenſuit, Iuſti Vulteii verſionem Latinam emendauit, et indicem Graecum adiecit Samuel Murſinna.* Berolini, 1755.

XIII.

XIII.

Meletematum iuris ciuilis specimen I. auctore *D. Iosia Ludouico Ernesto Püttmanno, tit. de V. S. et R. I. Antecessor. ordin.* (Disputat. Academica). Lipsiae, ex offic. Langenhem. 1771. pagg. 39. 4.

" *Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,*
Arboribus venti,

veterum fragmentis ICtorum Critici. Nae enim tantopere eorum quotidie crescit audacia, vt, si ita perrexerint, quas scite et sapienter scriptas habere putamus leges, breui tempore aut nullas aut correctorum culpa plane corruptas habituri simus. Seuere quidem, sed haud sine ratione sensit olim Zaleucus, Locrensium legislator, vt, qui de legis alicuius sententia disserere vellent, hoc facerent in consessu mille virorum, laqueis de collo pendentibus, sicque laqueo gula frangeretur illi, qui male lagem explicasse iudicaretur. Quid putamus illum facturum fuisse, si inter Locrenses eiusmodi fuissent homines, qui tunc

tunc demum vere ſibi ſapere viderentur, ſi enſe tantum Critico vti, et vbique, nulla licet vrgente neceſſitate, vrere atque ſecare didicerint?" Luculenter haec verba conſilium rationemque viri, ſumma doctrina praediti, oſtendunt. quanquam quis adeo abhorret ab elegantioris doctrinae ſtudio, quin Puttmannianam rationem ex aliis, quos edidit ille praeſtantiſſimus Iurisprudentiae verae interpres atque magiſter, libris cognitam habeat? Nec eam in hoc libello deſerit. Illud enim operam dat, vt leges interpretetur ſine verborum mutatione, aliorumque coniecturis reiectis apta potius et modeſta explicatione illarum ſententiam exponat et illuſtret. Refutat praeter alios Io. Cannegieterum, Io. Ienſium, Io. Guil. Hofmannum, alios. Nolumus hinc repetere quidquam. nam vtilius haec in ipſo libro leguntur. Illud tantum dicimus, cum hanc ſententiam in defendendis lectionibus Vir Cl. inprimis ſequatur, monere illum Criticos, ſaepe veteres ICtos ſpreuiſſe vulgares Grammaticorum regulas, ſingulares et proprias illis fuiſſe locutiones, nec delendum ſtatim eſſe verbum inſolens, aut inſolenti ſignificatu vſurpatum. "Iuſtiniani, inquit,

quit, certe consilium haud fuit, vt eloquentiae Romanae specimen nobis relinqueret, sed vt iustum ab iniusto, aequum ab iniquo secernere nos doceret. Quot quot igitur in critica versantur iurisprudentia, hoc prae ceteris tenere debent praeceptum, critici officium haud esse, vt elegantiam verbis conciliet, sed vt integritatem restituat, sique sensum idoneum habeat, quod explicandum est, caput, non frustraneam solum, sed noxiam etiam esse omnem, quae in verbis ad elegantiam redigendis ponitur, diligentiam."

Ne omnino videatur censura haec nuda atque inermis, ablegabimus paucis lectorem, antiquitatis et historiae studiosum, ad duo capita, quae ad hanc doctrinae partem pertinent.

In *cap. I.* defendit Vir Cl. Vlpianum contra eos, qui illum non rescripta solum Imperatorum aduersus Christianos collegisse, sed passim etiam, dissimulato licet nomine, Christianos pupugisse, existimant. Inprimis quibus Heineccius hanc accusationem firmare studuit, argumenta examinat. Verba Vlpiani in *l. 5. D. de iureiur.* ad Iudaeos, non ad Christianos spectare: alia ad profanos popu-

populos ipſos pertinere. In toto Pandectarum corpore Chriſtianos neque palam, neque clam tangi aut laedi.

In *Cap. III.* contra Georgium D'Arnaud oſtendit, Aediles de ſumtibus funerum edixiſſe. Nam is negat, ſcriptorumque antiquorum loca aut mutationibus ſuae ſententiae accomodare ſtudet, aut male interpretatur. Noſter vero primum loca, quibus edictum aedilitium de funeribus nititur, profert, refutatisque Arnaldi argumentis clariſſime docet: aediles de ſumtibus funerum, ritibus funebribus, ſtructuraque monumentorum ſepulchralium edixiſſe. Nec video, quid contra Viri Cl. argumenta dici poſſit, aut quo modo illorum veritas eleuari.

CONSPECTVS LIBRORVM

QVORVM CENSVRAE

VOLVMINIS VI. PARTE III.

CONTINENTVR.

I. A Deſcription of the Antiquities and Curioſities in Wilton-Houſe. Illuſtrated with twenty-five Engravings of ſome of the Capital Statues, etc. by *James Kennedy.* p. 277

II.

II. Memoria Gottfridi Mascouii, auctore I. L. E. Püttmanno: accedunt I. Barbeyracii, Chr. Gottl. Schwartzii, Ioh. Dau. Koeleri, Nicol. Hier. Gundlingii, Io. Gottl. Heineccii, Gottfr. Mascouii et Io. Gottl. Boehmii epistolae aliquot ineditae; nec non specimen manuscripti Graeci Eclogam legum continentis typisque nondum exscripti. - - p. 287

III. ΓΕΟΡΓΙΟΥ ΓΕΜΙΣΤΟΥ του και Πληθωνος ελληνικων βιβλια Β. *Georgii Gemisti Plethonis* de iis, quae post pugnam Mantinensem apud Graecos gesta sunt, Libri II. nunc primum seorsim editi, et notis illustrati ab *Henrico Godofredo Reichardo*, A. M. Scholae Prou. Grimmensis Collega IV. et Cantore. 302

IV. Dionysius Longinus de sublimitate: ex recensione Zahariae Pearcii: animaduersiones interpretum excerpsit, suas et nouam versionem adiecit *Sam. Fr. Nathan. Morus*, Philos. Prof. Lips. 306

V. D. *Carolus Andreas Bel*, Seren. Saxon. Elector. Consiliar. Aul. et Poes. Prof. Publ. Ord. *de barbarie fanaticismi filia.*
Idem *de optimis contra fanaticismum in litteras grassantem remediis.* - 319

VI. *Iac. Phil. de Medenbach Wakker*, ICti, Amoenitates Litterariae. - 331

VII. *Ioh. Erici*, in Academ. Equestri Sorana Professoris Iuris, Obseruationum ad antiquitates septentrionales pertinentium specimen. - - 337

VIII.

VIII. Animaduersiones ad Platonis Phaedonem et Alcibiadem secundum; adiuncti sunt Excursus in Quaestiones Socraticas de animi immortalitate cum summa Phaedonis: auctore *Io. Christ. Gottleber*, AA. M. et Rect. Annab. 345

IX. Vberioris commentationis de Claudiani carmine, de raptu Proserpinae inscripto, specimen: auctore *Bernhardo Georg. Walchio*, Instituti Historici Gotting. Sodale. - 357

X. Του Τζετζου τα προ Ομηρου τα Ομηρου και τα μεθ Ομηρον εν συντομιαι εκδοθεντα: Ioannis Tzetzae Carmina Iliaca, nunc primum e codice August. edidit *Gottl. Benedict. Schirach*. - 366

XI. Theophili Sigefridi Bayeri Opuscula, ad historiam antiquam, Chronologiam, Geographiam et rem numariam spectantia. - - 370

XII. *De dictionis Polyaeneae virtutibus et vitiis disserit M. Georg. Frid. Kronbiegelius.* (disputatio Academica). 376

XIII. *Meletematum iuris ciuilis Specimen I.* auctore *D. Iosia Ludouico Ernesto Püttmanno*, *tit. de V. S. et R. I. Antecessor. Ordin.* (Disputat. Academica). 381

ACTA LITTERARIA.

SCRIPSIT

CHRIST. ADOLPHVS KLOTZIVS.

— *Librum, si malus est, nequeo laudare.*

IVVENAL.



VOLVMINIS VI. PARS IV.

ALTENBVRGI

EX OFFICINA RICHTERIA.

CIↃ IↃ CCLXXI.



I.

Io. Matthiae Gesneri Biographia Academica Gottingensis. Volumen tertium.

Gottingae, ap. Vict. Bossiegel, 1769. pagg. 496. 8.

Qui prioribus huius operis Voluminibus conueniebat (*), etiam huic volumini praefixus est titulus, licet ab illius argumento abhorrere videatur. Neque enim vitas doctorum virorum, qui Gottingae floruerunt, complectitur, sed *Gesneri* vitam habet, et laudes Gottingae, etiam in *Praefatione* (*pagg. 46.*) decantatas ab Editore. Est is *Ierem. Nicol. Eyringius*, ludi oppidani rector. Is in indicem redegit ea scripta, quibus vrbis et Academiae Gottingensis historia exponitur et illustratur, multa-

(*) v. haec Acta Vol. V. P. IV. p. 375.

que de Academiae laudibus et fama dixit. Legimus haec omnia non inuiti. Ita enim me ament virtus, litterae, et boni viri, vt ego bene cupio Georgiae Augustae, cuius me partem aliquam fuisse vehementer gaudeo nec obliuiscar vnquam, cuiusque memoria vel ob summi viri, *Munchhusii*, nomen, grata et iucunda est, cum illius erga me voluntatis ea in manibus habeam pignora, sub extremae quoque vitae, immortali cum laude peractae, finem, mihi tradita, quibus inter res, mihi charissimas, dudum est cum locum dedi. Quidni igitur delecter laudibus pristinae nutricis? At easdem tamen ita celebrari cupio, vt, aliarum Academiarum in Germania honori iniuriam fieri, nemo queri possit. quae sententia etiam fuit viri cuiusdam docti, qui orationem, Munchhusianae memoriae consecratam, alio loco recensuit (*). Rectene vero an secus ita sentiam, ii iudicent, quos praefationis quaedam loca examinare iubeo. Gottingam dicit Auctor, *tanquam in vnam amplissimam domum, quicquid vnquam ad fouendas litteras inuentum alibique* *compa-*

p. 4.

(*) in *Ephemerid. litterar. Helmstad.* Vol. II. Seid. XIII.

comparatum, coniunctim vero vix vsquam repertum sit, *collectum et deductum* esse. *Nemini*, eodem loco scribit, facile docendi munus datum esse, quin ordinis sui, disciplinae, artisue, quam profiteretur, *principatum posset et suscipere et tueri.* Quasi in reliqua Germania qui doceant, hunc principatum agnoscant, aut fasces deferant iis, quos in animo habuit Auctor, quosque pro modestia sua, quam eos reliquis virtutibus adiungere scimus et gaudemus, has laudes non credimus lubenti animo accepturos esse. Reliqua, quae Auctor p. 6. magnifice praedicat, de literarum Gottingensium flore, *qui totius pene Europae in se oculos conuerterit*, de fama Gottingae, *in Americam ipsam* perlata, de studiosa iuuentute, *ab extremis Europae terminis* Gottingam confluente, vera esse putamus, et certa esse scimus. Interim quis non videt, melius haec dici, lubentius quoque audiri a quolibet peregrino, quam ab eo, qui Academiae, cuius ad ciues pertinet, laudes tam diserto ore celebrat. Nam, si vel pauciora dixisset Auctor, tubamque minus vocalem inflasset, quemque tamen intellecturum esse arbitramur leuitatem

conditorum immensi operis, cui *Cyclopaediae* (*) fecerunt titulum, qui, vbi Gottingae mentionem fecerunt, silentio praeterierunt Academiam, neque dixerunt aliud quidquam de vrbe, quam Io. Caselium Gottingae natum esse. Sed de his satis. Reliqua in praefationis parte recensentur, vt dixi, libelli ad Gottingam pertinentes, in quibus colligendis non videtur vulgarem operam posuisse aut quidquam praeterire voluisse Auctor. Nam locum quoque dedit Riep. 15. penhausenianae narrationi *Morbi Epidemici*, quo nupero bello Gottinga affligebatur, atque Schroederi *historiis variolarum, duobus adultis insitarum.*

Praefationem excipit *Io. Nic. Niclasii Epistola familiaris de I. M. Gesnero*, (pagg. 180.) de qua vix iudicare licet post sententiam ab editore contra eos sat atrociter dictam, qui non illam pleno ore laudent. Nam *qui Xenophonteam in narrando suauitatem, omnino desiderent, aut inuidiose aut fastidiose* iudicare pronunciat. Inuidendi Niclasio quam causam habere possim, non video. vix enim fando Niclasii nomen antea accepi. Fastidium vero si dicere velit

(*) *Dictionnaire Encyclopédique.*

velit *Eyringius* reprehensionem, quam non putamus iniustam, negligentiae, non pugnabo acriter, praesertim cum eo, qui defensores potentes sibi adesse non obscure indicat. (p. 46. lin. 17.) Tamen illud non piget profiteri, praesertim cum paullo post quasi ad se redeat ille, fateaturque: *Id arrogantiae esset, e mea sensu definire, videri et praeripere aliorum iudicia*, venustatem simplicem Xenophontis naturalemque pulchritudinem non esse confundendam cum incuria quadam scribendi accurate et emendate, magnamque esse inter scopas, vt illi dicebant olim, dissolutas facilemque verborum cursum et iucundum orationis flumen. Interim facile tenebit lectio epistolae animos eorum, qui Gesnerum propius cognoscere velint. Habet illa permulta, quae ad mores Gesneri perspiciendos faciant, quae opiniones eiusdem de variis rebus ostendant et illustrent, vno verbo, quae ad nudam veramque Gesneriani animi pectorisque imaginem mente concipiendam spectent. Septem enim annos *Niclasius* Gesneri familiaritate vsus fuit, vnde, quae ad priuatam illius vitam pertinent, potuit probe colligere. Atque

hanc Geſneri priuatam vitam deſcripſit tam accurato ſtudio Auctor, vt attingeret ea quoque, quae minuta multis videri poſſunt. Id quod etiam ipſe praevidiſſe videtur. nam excuſare aut, defendere ea ſtudet, dum, "in magnis,
p. 5. ait, viris omnia ſunt, ſi non grandia, ſcitu tamen digna ac iucunda. Et haud ſcio, an illa, quae non quaſi cum pompa quadam incurrunt in hominum oculos, ſed ab illis remotiora ſunt, bonam partem ſint eiusmodi, vnde quilibet, ſibi ſtirpeque familiae, quae imitetur, capere queat plurima. Et vero, quidquid dicant alii, quibus hoc ſcripturae genus diſplicet, vita priuata, vt quisque faſtigium tenuit excelſius aut magis fuit memorabilis, ita oblectationem habet longe maiorem, quam perſona publica. Suetonius etiam etſi Geſnero perplacebat, eum tamen magis tenebat in Auguſto, vbi patrem familias oſtendit, quam vbi exhibet principem: et videbat maiori cum voluptate *Inuictum Imperatorem* ludo vincere, quam proeliis, neque ita eum afficiebant, quae ſcripſit ſenatui, quam quae ad Tiberium filiamue: quemadmodum etiam libentius agnouit nepotes et litteras, et natare aliaque rudi-

rudimenta per ſe docentem, quam inſtruentem aciem, ordinantemue prouincias. Nolo nunc id commemorare, mores quoque ſe domi, vbi animus eſt remiſſior, ſimplicius detegere quam in publico." Ego vero, multum et fructus et voluptatis habere vitae magnorum virorum priuatae cognitionem, lubenter largior. Sed habet etiam haec vita multa quotidiana, quae a compluribus agi et fieri ſolent, quaeque non operae pretium eſt commemorare. Talia credo in hac quoque narratione nonnulla occurrere. Quae quidem licet ita ſint, licet, vt dixi, deſideremus curam et limam ſaepiuſcule, placet tamen narratio ipſa, ob varietatem rerum, antea non auditarum. Neque inde delibare quaedam atque hunc in locum adferre moleſtum eſt.

Acroaſes Geſnerus faciebat ſic, vt vni- p. 22.
cuique, qui opera ipſius vti vellet, pateret ſchola: honorarii gratiam petentibus faceret omnibus; acciperet pecuniam ab his, qui vltro offerrent et beneficiarii eſſe recuſarent: ipſe moneret neminem. Saepe dicebat: nullo pacto hoc facere poſſum, vt ab auditore nomina exigam.

p. 44. Solo vſu et conſuetudine, ſine Grammaticae miniſterio, vt neptis Geſneri Latine loqueretur perbene, factum fuit. Subtiliſſimam enim verborum philoſophiam hanc malam puerilis ſtudii, quae non expediret viam, ſed impediret, iudicabat comitem Geſnerus. Igitur auctor erat, rem praeſtantiſſimam quidem, ſed pueris noxiam, vsque eo differre, quoad illis maior et linguae et rationis vſus contigiſſet.

p. 59. Iucunda lectu ſunt ea, quae ad ſententias Geſneri de poeſi Romanorum et noſtrorum hominum carminibus pertinent, licet, videam locum dari ibi inter optimos poetas viro docto quidem, et ingenioſo, ſed non poetae, certe quem nunquam poetarum ſuorum ad numerum adſcripſit Germania. Paullo poſt recen-
p. 68. ſentur opiniones eiusdem de eloquentia. Fuit etiam Geſnerus in iis, qui eloquentiam viuere poſſe negant, niſi in libera republica. In Germania quidem vocem ei praecluſam eſſe ita, vt vix os ad dicendum ei aperire liceat, niſi interdum pro concione ſacra. Nam hic quoque non tam oratores agere iubebat diuinae interpretes voluntatis, quam bonos patres familias, qui, cum libris ac fami-

lia agentes, neque verborum ornatui valde studeant, et tumultibus animique commotionibus magnis non, nisi raro, locum dent.

Magna arte constat Gesnerum imagines collegarum, vita functorum, exhibuisse, sic, vt neque veritatem laederet, neque de iniuria quisquam queri posset. Quod negotium quam difficile sit et arduum, quisque intelligit. Artificio vero quali vsus fuerit, quodam modo intelligi potest, ex ipsius Gesneri sermone. "Cassellis, is dicebat, vidi pictorem, qui cum posceretur effingere aliquem coloribus, diligenter consideraret, vtrum vultus ille, quem repraesentare deberet, naeuo aut verruca, aut vitio alio quocunque esset insignis. Si quid deprehendisset huius generis, tum res habebat successum. Vbi vero abesset peculiaris nota, sudabat frustra, nec reddebatur similitudo. Quare cum reprehenderetur eo nomine, parata erat excusatio: non habui adminiculum, quod apprehenderem, aut ad quod adniterer." Talem pictorem se esse, Gesnerus iocans addebat: quoties defuncti pictura postuletur, se considerate despicere, vtrum virtutem eximiam an naeuum insignem, p. 74.

ſignem, qui ſaluo eius honore oſtendi poſſet, et quem noſſent omnes, aut aliud quidpiam inueſtigare in eo queat. Hoc vero, quod quaeſiuiſſet, inuento, in expedito eſſe reliqua: tunc hanc vnam omnium vocem eſſe: Ipſe eſt! ne hoc quidem eſt amiſſum, quo a cunctis agnoſcebatur!

p. 77. Quid de Philoſophia ſenſerit Geſnerus, cognoſcendi me cupidum fuiſſe non nego. Nec fefellit Auctor meam exſpectationem atque cupiditatem. Iuuenis nomen cum reliquis dederat *Wolfio*, cuius haereſi ita fuit aliquamdiu addictus, vt pro illa depugnaturum fuiſſe Geſnerum ferro, quin poſiturum vitam, Auctor dicat. Sibi vero redditus, a ſententiis Wolfianis plerisque alienus fuit, ita tamen, vt laudaret amaretque philoſophum eo nomine, quod diſciplinas excitaſſet phyſicas et mathematicas. Quantum vero attinet ad eas partes, quas vulgo philoſophiae nomine comprehendunt, reliquas, et quibus cenſeri potiſſimum volebant Wolfiani, parum fauebat Geſnerus cum duci ipſi, tum ſectatorum gregibus. Superbum ei videbatur, nec ferendum hoc, quod in philoſophia dialectica, metaphyſica et morali inuenta

crepa-

creparent' sua. Deinde indignabatur, recentissimam istam philosophiam ea, quae illius auctor verus, Leibnitius, interdum per ludibrium et animi causa finxisset, serio tanquam magnam sapientiam proponere: quorum in numerum referebat lepidam de harmonia, quam praestabilitam dicunt, fabellam cum Monadologia. Magis tamen succensebat discipulis Wolfii quibusdam, quam Wolfio ipsi. Persuasissimum ait Vir Cl. Gesnero fuisse, "in tota Wolfiana schola nihil proditum esse, quod non aut falsum sit aut perabsurdum, aut non novum." Hoc se demonstrare, addit idem, ita posse asseuerabat, vt euidentissime appariturum esset, quae noua et illi peculiaria iactentur, inepta esse, quae vero recte ab illo posita sint, olim iam fuisse obseruata. Istam, crassa volumina meris syllogismis implendi, methodum, quae *demonstratiua* audit, Wolfii commentum esse fassus est, sed vix dignum Hecatombe. Philosophiam ipsam non contemsisse illiusque studio iustum statuisse pretium Gesnerum, patet ex iis, quae sequuntur. Moderatum esse volebat Philosophiae studium. Iubebat adolescentes facere, quod fecit apud Ciceronem

ronem Antonius, qui decreuit *philosophari, sed paucis.* Contemplatiuam Philosophiam breuem esse optabat, actiuam vero exercere totam vitam. Porro illud praefulcire atque praemunire conabatur, vt ne plus hic opertis, quam deceret, tribuerent. Non enim magnam sapientiam esse, monebat, disputare de rebus, quae parum habeant certi solidique, coniecturis multo maxima ex parte nitantur, et nunquam ad liquidum possint perduci. Quantum ad dialecticorum leges, esse illas quidem certissimas, sed sapere inde non magis disci posse, quam ire ex praestantissimo Borellii, *de motu animalium*, libro. Esse dialecticam veluti animae humanae anatomen, quae indaget, ponatque in oculis, quo illa modo ratiocinetur. Sed rationem ipsam qui peti inde, aut sperari posse, sibi persuadeat, non minus eum decipi, ac si caecus ex Zinnii *descriptione oculi humani* videndi potestatem sibi vellet acquirere. Quin frequenter fieri, vt homines, quibus forte Logices nomen inauditum sit, veluti milites, mercatores, de aula, longo rerum vsu, assiduaque meditatione sensus habeant ad iudicandum ex vero celeriter et acutissime exercitatiores his ipsis,

ipsis, qui tota vita fuerint dialectici. Obseruasse adeo sibi videbatur, regularum repetitionem Logicarum continuam vim iudicii nonnunquam imminuere, celeritatemque tardare. Plus hic posse iudicabat Geometriam.

Sub finem epistolae multa dicuntur de ardentissimo pietatis studio doctrinaeque Christianae cultu, quem luculentissimis documentis prodidit Gesnerus. Nos ex illa narratione vnam decerpemus particulam. Libros virtuti religionique infestos ab oculis manibusque iuuenum amouere maxime studuit. Alios igne aboleuit, alios, ne elaberentur, custodiuit. In his erat vnus et alter, velut *de Optimismo*, et *de Vlyssibonae euersione*, Voltarii eiusdem, cuius *Henriciada* tantopere erat admiratus Gesnerus et summis extulerat laudibus. Senex idem carmen denuo legere instituebat; sed mox abiecit, magno cum dolore et contemtu. Fatebatur, illa ipsa loca, quae longe ante alia acceptissima animo suo fuissent, ob sententiarum vibrantium grauitatem, nunc exoleuisse, nec vim habere aut potestatem. Non posse enim fieri, vt homo, qui deum conuiciis incessat, qui prouidentiam derideat albis

dentibus

dentibus; omnem religionem funditus exstirpatum qui eat, quique virtutis neruos incidat, vllum habeat verae virtutis sensum. Ficta omnia esse, ludumque ingenii.

p. 181. Sequitur ipsius Gesneri Epistola *de vita et morte Geo. Nicolai Koehleri*, alias iam edita; atque etiam in editione Vratislauiensi *Opusculorum* Gesneri. Datus est illi locus ideo, quia huius Koehleri manu et disciplina formatus institutusque fuit Gesnerus noster.

p. 213. Hanc excipit Gesneri *de statu Academiae Georgiae Augustae, quae Gottingae est, breuis et vera narratio*: quae antea iam bis euulgata fuit.

p. 227. Addita est Gesneri *de Academia Georgia Augusta, quae Gottingae est condita et dedicata narratio*. Haec quoque nunc tertium prodit.

p. 287. Quarto loco posita est *Ierem. Nic. Eyringii Descriptio operum I. M. Gesneri*, quae, certas in classes descripta, recensuit. De ratione vero ipse dicit: " In illis, quae

p. 292. essent ad singulos dicenda libros, plurimum respexi ad *Reimari* exemplum, quod in vita Fabricii exstat, vt argumentum, occasionem, fata, verbo, cuiuslibet libri historiam quandam, breuem

illam

illam quidem, ſed ad auctoris conſilium et merita explicanda ſufficientem, exhiberem." Interpoſitum eſt *Commercium Litterarium Lucianeum*, quod complectitur litteras, ab Hemſterhuſio, Geſnero, Reitzio, Fabricio et Wetſtenio de noua Luciani editione adornanda ſcriptas. Hic profecto exoſculamur ſummam humanitatem, qua Hemſterhuſius atque Geſnerus ita certauerunt inter ſe, vt fere, vter amabilior ſit, ignores. Nempe is fuit Hemſterhuſius, qui vere de ſe dicere poſſet. "Hoc et credere te gaudeo et maxime cupio, me quam longiſſime ſemper abfuturum ab eorum moribus, qui litteras humaniſſimas ita tractant, vt pulcerrimos earum fructus, ipſamque humanitatem abominari paene videantur; nec committam, vt per me ſtet, quo minus ingenui iuuenes tantum doctrinae dedecus cane peius et angue oderint." Nil vero dignius humanitatis doctore legi poteſt ea epiſtola, quam Geſnerus ad Burmannum, filium, ſcripſit, de Patris minis atque iniuriis, Geſneriano nomini intentatis.

p. 365.

p. 439.

p. 434.

Aegerrime tulimus, cum legeremus, opera quaedam adfecta fuiſſe a Geſnero, conſilia ſaluberrima cum fortuna tum

morte turbata esse. Molitus est editionem *Geoponicorum*, quorum lectiones, e quatuor codicibus Palatinis a Gudio collectas, in manibus habebat. Praeterea de *Calpurnio* ceterisque Poetis bucolicis, de *Cassiodori* variis formulis, de *Virgilii* carminibus edendis cogitauit. Plurima inprimis praesidia collegerat et ornamenta nouae editionis Plinianae *Historiae naturalis*. Immo iam litteras eo de consilio ad viros doctos publicas dederat, in qua pollicebatur, se Harduiniana omnia redditurum esse, nouis non paucis addendis. Maxime nobis ratio Gesneriana placuit, cum videremus, illum ad scripta Physicorum recentiorum, vbi vel explicant hi Plinium, vel emendant, cum breuissima sententiae ipsorum recensione, lectores ablegare voluisse. Quare vehementer dolemus, exitu caruisse vtilissimum consilium. Ipse Gesnerus causam adfert hanc, quod, cum recusa Basileae Harduiniana editio pluteos impleuisse videretur, bibliopolae noluerint obstetricias manus nouo operi praestare. Aliam causam adfert Eyringius. turbatum fuisse dicit hoc negotium quorundam hominum clamoribus, qui *Philologum* dicerent ineptum

esse intelligendo, explicando, ornando, edendo denique Plinio. Qui homines nec intelligere potuerunt, quanta doctrinarum varietas in Gesnero esset, et quia aliorum ingeniorum amplitudinem angustiis eius, quo ipsi laborabant, metiebantur, non fieri posse crediderunt, vt plurium rerum scientia in vno eodemque homine esset. Interim bibliopolarum animus, vt solent Sosii rumusculos captare, abalienatus fuit ab hoc consilio. Quam probe vero perceptas habuerit Gesnerus veterum de physicis sententias, praeter alia, ostendunt clarissime ea, quae de animabus Heracliti et Hippocratis, atque de electro veterum scripsit.

Dum vero recensemus auctores veteres, a Gesnero amatos, commemoremus historiam, ab auctore sub finem libri narratam. Remouit Gesnerus, quantum posset, ab adolescentibus iis, in quibus natalium et familiae splendor esset insignis, Curtium. Illius lectione sciebat Caroli XII. animum corruptum fuisse, aliosque putabat adeo Curtium infatuasse, vt, dum parui Alexandri fieri vellent, se et multos alios perdidissent. Odium, quod inde in hunc scriptorem conceperat, hinc quoque patet. Cum

reliquorum omnium auctorum veterum editiones magnis sumtibus sibi parasset nouissimas optimasque, vnam Curtii Snakenburgianam suam facere noluit, certe neglexit.

II.

Animaduersiones, quibus Xenophontis Memorabilium Socratis dictorum et factorum libri emendatur, illustrantur, Auctore *Carolo Friderico Hindenburgio*.

Lipsiae, ap. S. L. Crusium, 1769. pagg. 200. 8.

Indicauimus nuper elegantes *Gottlebri* animaduersiones, quibus Platonis dialogis aliquot non parum lucis affunditur. Non minus de Xenophonte mereri studuit *Hindenburgius*, qui Graecarum litterarum studium in se esse nec vulgare, nec reliquarum artium subsidiis destitutum, in hoc libello ostendit. Fatemur quidem, nonnulla copiosius explicari, quam necesse sit: de aliis auctor cur aliquid dicat, nos causam non videre: etiam quarundam lectionum veritatem

nobis

nobis non persuasisse eum, addimus. Sed haec non impediunt, quo minus laudemus auctoris doctrinam, atque hunc libellum Xenophonteae elegantiae studiosis, iuuenibus inprimis, qui degustandae Atticae suauitatis facultatem sibi comparare velint, vtilem et iucundum fore existimemus.

Contulit Vir Cl. potissimum editionis Stephanianae exemplum alterum, quod multas habet perutiles et praeclaras lectiones, cum editis, et inde excerpsit, quae placerent. Praeterea examinauit diligenter Leunclauii, Portorum, aliorum coniecturas. vbi semper obseruauit Xenophonteae dictionis ingenium, adeoque abhorruit valde ab eorum leuitate, qui siue festinantius, siue audacius in tractandis veterum libris versantur. Noster vero lectionem vulgatam non raro defendit, defensionisque suae argumenta e Xenophonte ipso petiit. Nec inepte confirmauit aliorum coniecturas, quae ipsi probarentur, atque etiam interdum oblata in locis difficilioribus ingenii exercendi occasione vsus est ita, vt proderet prudens circumspectumque iudicium nec leuem linguae Graecae cognitionem. Correxit praeterea versionem vulgatam

 Latinam,

Latinam, quoties ea verum ſenſum non exprimi videret; vtiles adſperſit obſeruationes de verborum difficiliorum ſignificatu, nec pauca obſcura loca perſpicua reddidit apta interpretatione. Quod vt efficeret, nec a longioribus diſputationibus abſtinuit. Tria earum dabimus ſpecimina. Bene illuſtrat Vir Cl. (p. 136. 137.) Gellii et Athenaei opinionem, ſimultates fuiſſe Xenophontem inter et Platonem, quarum cauſam a ſtudiorum vitaeque ratione, quam vterque ſecutus eſt, diſpari et diſſimili repetit. Certe, quod vterque ſimilis argumenti libros ſcripſit, contentionis ſtudium hoc prodit, nec alia obſcure oſtendunt, haud quaquam hos Philoſophos amico inter ſe animo fuiſſe. Vberiore quoque adnotatione explicatur locus Xenophontis (L. IV. cap. 3.) *τάς τε ὥρας τῆς ἡμέρας, — τὰς ὥρας τῆς νυκτός.* (p. 170 — 177.) Eſt enim hic locus ideo notatu dignus, quia obſtare eorum opinioni videtur, qui *τῆς ὥρας* vſum et nomen, pro *viceſima quarta diei noctisque parte*, quam *horam* nos appellare ſolemus, ea certe aetate, qua Xenophon vixerit, Graecis incognitum planeque inauditum pronunciarunt. qua

in

in ſententia fuerunt Caſaubonus et Salmaſius. Sed neque hunc locum, neque alia Ariſtophanis et Anacreontis illis aduerſari docet. Verboſius vero reliquis illuſtrauit Cap. VII. (p. 182-194.) Nam cum in hoc capite oſtendere vellet Xenophon, quid et quantum eſſet ex Socratis ſententia in quacunque arte diſcendum, de Geometria et Aſtronomia praeſertim locutus eſt ſic, vt Socratem tanquam contemtorem vtiliſſimarum doctrinarum exhiberet. Vir igitur Cl. quantum ex his, quae tradant veteres de Socrate, colligi poſſit de ipſius in mathematicis et phyſicis rebus cognitione, obſeruat. Diſputationis vero totius ſumma haec eſt: "Socrates, cum haec ſtudia aliis relinqueret tractanda, non id fecit propterea, quod ea contemneret, aut parum habere vtilitatis, cum Xenophonte, exiſtimaret, ſed quia animaduertiſſet, *ſolam*, ſuo tempore, *phyſicam* dominari, *moralem philoſophiam*, quae de officio praeciperet, nullam plane eſſe. De coelo itaque, vt aiunt, in terram deuocauit Philoſophiam Socrates, ſtultum eſſe exiſtimans, relictis rebus humanis, quarum cognitione humanae vitae felicitatem contineri potiſſimum docebat,

cebat, statim ad res diuinas contemplandas accedere, aetatemque in eorum studio consumere, in quo recte iudicasse Socratem, neminem facile, qui dubitet, reperiemus. Haec autem quum *saepius*, et, vbi occasio daretur, *non sine vehementia* inculcaret discipulis Philosophus, addens simul, eum, qui de officio praecepta rite teneret, ad vsumque conuerteret, posse tamen, etiamsi alia omnia ignoraret, boni ciuis et honesti viri munia recte obire; qui autem nesciret, similem esse mancipii, haec, inquam cum diceret Socrates, Xenophon, quem et hoc caput et reliqui libri Matheseos et Physices expertem fuisse testantur, in hanc fere partem interpretatus est, quasi ea tantum studia et *vnice* commendasset Socrates, quae ad vitam bene instituendam remque publicam feliciter gerendam pertinerent, ex reliquis autem non nisi censuisset retinenda ea esse, quibus vix ac ne vix quidem humana vita carere possit. In quo aequiorem multo Platonem cognouimus, qui orbem illum doctrinae, quam Graeci ἐγκύκλιον παιδείαν vocabant, emensus, disciplinas, quae tum erant, singulas suis ponderabat momentis, sic tamen, vt morali philoso-

phiae

phiae cum Socrate principatum, et recte tribueret. Quod autem in suis libris exhibeat interdum Socratem, de Physica et Geometria disserentem, quod fortiter negat vnquam factum Xenophon, in eo mihi videtur Plato (quanquam et hoc a Socratis ingenio alienum non fuisse Diog. Laertius affirmet) non tam praeceptoris consuetudinem respexisse, quam amori aliquid, quo ipse ferebatur in has litteras, tribuisse."

III.

Chrestomathia Latina poetica: edita et animaduersionibus illustrata a *Theophilo Christophoro Harles.*

Altenburgi, ex offic. Richteria, 1770. Alph. 1. plagg. 2. 8.

Eodem consilio Latinam Chrestomathiam vir de litteris nostris optime meritus, Harlesius, edidit, quo illum Graecam euulgasse alio loco diximus (*). Immo non pauca carmina in hanc Latinam recepit, quae apte componi et comparari possint cum Graecis. quae res, si

(*) Act. Vol. V. P. II. p. 227.

ſi periti magiſtri interpretatio accedat, non parum facit ad vtriusque linguae indolem melius perſpiciendam. In delectu ipſo carminum probauit nobis Vir Cl. intelligentiam cum rei poeticae, tum doctrinae antiquae. Nam et conſuluit varietati, et particulas poetarum dedit, quas inprimis legere et cognoſcere vtile eſt. Primo loco poſuit Virgilii Eclogas II. et IV. tum Nemeſiani et Calpurnii Eclogas tres: mox e Tibullo, Propertio, Ouidio, Catullo nonnulla carmina ſumſit: ſequuntur Odarum Horatianarum non paucae: tum Martialis Epigrammatum guſtum dat: quibus minora quaedam carmina Claudiani, aliaque, quae habet Anthologia Latina, ſubiunxit. Vltimum locum dedit Iuuenalis Satyrae VIII.

Quod ad carmina ipſa attinet, nemo facile deſiderabit *Harleſii* acumen in deligendis iis, quae huic conſilio aptiſſima ſint. Fortaſſe vero quidam pro Virgilio atque Horatio, quorum carmina omnibus in ſcholis inuenire dicent, aliis poetis aliquis locum vt datus ſit, optabunt. His reſpondit ipſe Vir Cl. "Me
p. 217. ex Horatio, quem iuuenes Muſarum cultores diurna nocturnaque manu verſare debent, plura delegiſſe carmina, haud

pauci

pauci erunt, qui mirentur. At enim pluribus ſcholis libido doctrinarum, quas *Scientias altiores* eleganter ſcilicet nuncupant, poetarum interpretationem paene exulare iuſſit. Vix vna alteraue horula ſingulis hebdomadibus magiſtris illis omnis humanitatis et venuſtatis cum inſigni ipſius humanitatis iactura tribuitur. Si ergo harum ſcholarum maiorum minorumue moderatores alios poetas auditoribus ſuis explicandos proponunt, Horatii lectio eſt negligenda: quod quidem omnino fieri non debet. Hac igitur Muſarum calamitate commotus plures odas typis hic repetendas cenſui, vt iuuenes ad reliqua Horatii poemata ſedulo legenda magis magisque incenderentur."

Non nuda propoſuit carmina Poetarum, ſed, vt decet liberalem hoſpitem, corollaria addidit liberaliter. Nam et varietatem lectionis ex optimis editionibus propoſuit, et excerpſit non raro ex aliorum adnotationibus vtiliſſima, et adſperſit varia, quae locis illuſtrandis inſeruiant; dicerem, haec doctrinam Viri Cl. multiplicem et accuratam litterarum ſcientiam oſtendere, niſi has laudes ſibi iam aliis libris conciliaſſet. Quare recenſea-

cenſeamus potius opiniones Viri Cl. de aliquot locis, libereque noſtram ſententiam addemus.

p. 152. In *Catullo* multa relicta ſunt virorum doctorum acumini, etiam poſt *Voſſii* et *Vulpii* operam, Mihi, haec ſcribenti, neutrius editionis inſpiciendae copia fuit. Solam hanc Chreſtomathiam tenui. Hoc moneo, ne, ſi ab aliis forte monita proferam, haec res mihi fraudi ſit.

quod o patroa Virgo
Plus vno maneat perenne ſeclo!

Quid Veſtae cum libris? quid cum carminibus? Alias illa res curabat. Ingeniis immortalitatem dare poterat ſola Minerua: illam ſolam hoc loco appellare poterat debebatque poeta. Et quid ſi *patroa* indicat filiam, a patre, Ioue, editam partu? Verbo certe hoc Minerua ab omnibus deabus diſtinguitur, non editis ſolo patre, ſed matre quoque. Vir Cl. nihil definit. Bene vero in ſequenti carmine:

Quoi primum digitum dare ac patentes
Et acres ſolet incitare morſus.

probauit lectionem: *appetenti.* Impedit illud *ac, et,* quaſi facilem verborum

rum

rum cursum. Et illud verbum ad ipsam rei naturam accedit iucundissime. Etiam assentior Viro Cl. in illis:

suamque norat
Ipsa tam bene quam puella matrem.

laudanti lectionem Aldin. *Ipsam*, et interpretanti *dominam*. Sed potes etiam ad *matrem* referre, et fortasse huc vocare illud Terentii: *Ipsum me nosti*. At sub finem omnino legendum est:

Vestra nunc opera meae puellae
Flendo turgiduli rubent ocelli.

nam cohaerent haec arcte cum iis, quae praecesserunt: *At vobis male* etc. Bene in Phaselo

Et hoc nec aut *minacis Adriatici*
Negare littus.

audaciam Vossii, sic corrigentis, refutat. Aldin. *negat* eleganter. nam amat repetitionem vnius eiusdemque verbi Catullus. Carm. XXXI. non satisfacit Vir Cl. in interpretatione: *vterque Neptunus*, quod ait poetice dici pro *vtroque modo*, *vtraque parte*. id quod non intelligo. Turnebi explicatio simplicissima videtur. Sic quoque Spanhemius (ad *Aristophan. Plutum* p. 253.) interpretatur: qui et mari

et

et lacubus praeest. In Carm. XLVIIII. non puto cum Viro Cl. versum:

Tanto pessimus omnium poeta

citra damnum sententiae abesse posse. nam illo inprimis vigor accedit carmini, et lepor, qui inest fini, multum minuitur, eo deleto. C. LX. v. 146.

Scimus haec tibi quae licent
Sola cognita, sed marito
Ista non eadem licent

credo, praeter necessitatem in hoc loco viros doctos haesisse. Primum ego recipio lectionem quorumdam codicum *Soli*: deinde, quod caput est, sic distinguo: *S. h. tibi*, *quae licent Soli*, *cogn.* Quis non videt *soli* opponi *marito? Sola* dicitur vidua, vt apud Propertium:

Gaudet me solam vacua tabescere lecto:

atque sic etiam hoc loco pro *innupto*. sensus est: scimus, te cognita habere, quae innupto iuueni licent: at etc. Atque sic fortasse v. 185. sola distinctione clarior reddi potest;

Vos bonae senibus viris
Cognitae breue faeminae,

si

ſi poſt *ſenibus* diſtinguas et *viris* coniungas cum *Cognitae.* At in v, 220.

Dulce rideat ad patrem
Semihiante labello.

Nullo modo τὸ *micante* accedit ad venuſtatem, quae illi verbo ineſt. Nihil balbutientis pueruli imbecillitatem melius pingit. — C. LXI.

Nimirum Oceano ſe oſtendit noctifer imbre.

Imber credo defendi poſſe. nam ſumitur pro aqua. Neſcio an aduocauerit interpretum quisquam locum Ennii (apud *Non.* VI, 64.) vbi *imber Neptuni* pro mari dicitur. Siue *Oceani* ſcribas, ſiue *Oceano*, idem eſt. Nam *Oceanus* adiectiue quoque ponitur, et ſemper hic variant libri. — v. 19.

Heſpere, qui coelo fertur crudelior ignis?

Quomodo elegantior videri potuit Viro Cl. altera lectio: *lucet*, quae minus exquiſita eſt, minus poetica? *Fertur* eodem ſenſu dicitur, quo dixit Virgilius: *Voluuntur ſidera lapſu.* — C. LXVII. 55.

Moeſta neque aſſiduo tabeſcere flumina fletu
Ceſſarent, triſtique imbre madere genae.

„Num rei ipſi, ait Vir Cl. et naturae ac ſequenti voc. *madere* bene reſpondet

haec

haec metaphora, plane dubito." Nullam dubitandi causam video. Primum in amore lacrimas profundere, quam naturale hoc est! Quoties hoc de se confessi sunt poetae vtriusque linguae. *Imbres* dicunt iidem non raro lacrimarum magnam vim profusam. Sic amorum magister:

Spargebat tepido flebilis imbre sinus.

Cur vero *imber* et *madere* sibi aduersentur inuicem, non video. De eiusmodi locis iudicandum est ex ipsius linguae ratione, non audiendae conclusiunculae aliorum subtiles. Saepe peccauit hac parte *Homius*, vir acutissimus, sed non satis peritus linguae cum Graecae, tum Latinae. Inde multa is reprehendit, quae probe dicta sunt. — v. 61 Apage monstrum verbi Vossianum, *basso sudore!* recte tuetur Vir Cl. *Lasso.* — v. 65.

Ac velut in nigro iactatis turbine nautis,
Lenius aspirans, aura secunda venit,
Iam prece Pollucis, iam Castoris implorata,

Locus vexatus ab interpretibus. Vide, an certamina componat versus Horatii (*Epist. II,* 1, *135.*)

Coelestes implorat aquas docta prece blandus.

Hoc

Hoc certum eſt: *implorata* pertinere ad *aura*. Iam *prece Pollucis*, pro precibus ad Pollucem factis, licet ſit rarius, tamen nil habet, quod nimium offendat. — v. 101.

Ad quam tum properans fertur vnde vndique pubes.

Illud *vnde vndique* nolim temere mutari in Catullo, antiquiore poeta. Nam apud Plautum quoque verbum *vnde* geminari memini. In ſequenti vero verſu dum *focos* Voſſius mutat in *deos*, peſſime agit; verbum vulgare ſubſtituit in locum exquiſitioris. — C. LXXXI. v. 21.

Quae mihi ſubrepens imos, vt torpor, in artus,
Expulit ex omni pectore laetitias.

Non perſuadere mihi poſſum, a librario imperito profectas eſſe lectiones: *vt anguis* et *delicias*. non cadunt eiusmodi lectiones in ſtuporem librariorum. Emendatorem potius redolere videntur, aut manum, non deſcriptoris mercenarii, ſed qui ſibi codicem pararet, atque in eum plus ſibi iuris ſumeret. cuiusmodi codicum ſpecimen dat Geſnerus (*). Atque

(*) in *Prolegom. ad Claudian.* §. 8. p. 12.

Atque haec nobis de Catullo dicta ſunto.
p. 13. Addamus quaedam, ad *Nemeſianum* et *Calpurnium* pertinentia. Sed et horum nulla omnino alia editio adeſt, quam *Harleſii*, quae nobis eo iucundior, quo ſuauiora omnia ſunt, quae ab amico illo vetere proficiſcuntur.

In Ecl. I. v. 2. immerito reiicitur *tanquam nimis docta* lectio *regna*, pro *rura* in verſu:

raucis reſonant tua rura cicadis.

Immo *rura* debetur gloſſatori, qui exquiſitius verbum explicare voluit. Paſtor Virgilianus quoque dixit: *mea regna videns*. Et in Georgicis:

Nunc quoque poſt tanto videat, deſertaque regna
Paſtorum.

Nemeſianum non aliter ſcripſiſſe hinc quoque patet, quia ille ſemper Virgilium imitatur. Et verbum *tua* neſcio quomodo magis lectioni *regna* quam *rura* fauere videtur. — v. 11. *calamis verſus cantauimus olim.* Miror quemquam haerere hic potuiſſe. nonne infra noſter?

Laetus Phoebea dixiſti carmen auena.

Hic

Hic fimiliter. non opus eft exempla colligere. v. 16.

Risisti calamos et dissona flamina Mopsi

"*Duo*, inquit Vir Cl. haec vocabula minus eleganter sibi apposita videntur." Quare pro *calamos* coniicit *versus*, siue *cantus*. Sic quoque Barthius *flamina* mutare voluit in *carmina*. Neutrum probari poteft. Eleganter locutus eft poeta, pro, rififti, male inflari calamos a Mopfo. Ornatum hunc amant poetae. Nulline in mentem venit Horatii: *cur Berecynthiae cessant Flamina tibiae?* — v. 30.

nobis ne vento garrula pinus
Obstrepat.

omnia recte fe habent: ne pinus, quae garrula eft vento; id eft, ob ventum, dum vento agitatur. — Recte reiicit Vir Cl. v. 53. coniecturam Burmanni: *varias sapiens mulcere querelas:* pro *patiens mulcendo.* Patientiae laus locum omnino habet in componendis rixis hominum afperiorum. Nec in v. 48.

Nec tenuit nostras communis causa querelas.

quidquam mutandum cenfeo: quia *causa* mihi eft conditio humana h. l. Recte

dicit Vir Cl. *communem causam* nunquam dixisse quenquam *mortem.* At communis hominum conditio, status, sors est, mori. — Quae de v. 56. et 73. dicit, bona sunt et docta. — v. 78.

Messem tristis hiems aestas tractabit olivas;

Reiice Burmannianum *iactabit.* Quoties non vnum verbum, apponitur duobus substantiuis, licet vni tantum conueniat? Et *tractandi* notio inest etiam triturae frumenti, aut, si mauis, explica de metendis colligendisque frugibus?

Ecl. IV. 12. immerito Vir Cl. reprehendit versum:

Sic sua desertis nudarunt vulnera siluis

et mauult: *vlularunt* aut *iactarunt.* *nudare* pro indicare, patefacere, etiam prosaici dicunt. Lexica exempla praebent. Nec translatio videtur audacior.

Atque etiam in Calpurnii Ecl. II. 18.

Omnia cessabant neglectaque pascua tauri
Calcabant,

nil video, quod corruptum sit aut emendatione egeat. Non pabula carpebant tauri: potius pedibus conculcabant: nonne

nonne igitur *neglecta* illa dici possunt? — v. 82.

cum sole Nouembri
Maturis nucibus virides rumpentur echini.

Vsus verbi *solis* eruditior videtur Barthio, quam vt pastori aptus sit. Vtinam causam edidisset! Nam non adeo reconditus verbi vsus et exquisitus videtur, vt locum habere in huius generis carmine nequeat. Et dabimus, eruditius verbum esse. Ideone aliquid mutandum erit? Errorem habes ipsius poetae, non librarii. Quot non loca in Virgilii Eclogis mutanda forent, si omnia reiicere vellemus, quae excultae elegantiae decus praeferant!

IV.

Mors Christi, seu Messias, ex illustri poemate Klopstokiano. Cantus IX.

Viennae, typis Leop. Io. Kaliwoda, 1770. pagg. 170. 8.

Nisi fallor, ab eodem auctore hoc carmen scriptum est, qui nuper Miltonum latinum dedit (*). Nam eandem

(*) Act. litt. Vol. VI. P. I.

dem rationem in hoc deprehendimus, quam in illo vituperauimus. Atque etiam ſermonis verborumque ſimilitudo quaedam eſt. Forte etiam ipſe hoc indicare voluit, his verſibus carmen exorſus:

Vidimus horrendum nuper Miltone canente
Primi hominis lapſum, promiſſaque ſumma Tonantis
Propitii. Nunc ſeſe Alemannia buccina tollat
Magni Klopſtokii: nec Baltica littora ſola
Grandi voce ſonent! Latio clangore per oras
Nunc eat, Humani tu mî reparatio lapſus
Magnum opus Aeterni fragilis ſub imagine forma
Tu mihi carmen eris. Fruſtra ceruice ſuperba
Sacrilegus ſeſe oppoſuit Phlegetonte tyrannus,
Totaque Iudaeae regio Phariſaeaque turba.
Succubuere. Patratum opus eſt, partusque triumphus.

Sed

Sed tamen a vanis exercita Musa camoenis,
Tune ingens tractare ausis temeraria factum?
O tu illam Omnipotens coelestibus imbue flammis;
Tu tibi fac illam docilem Venerabile Flamen,
Spiritus alme Dei! tu pectora mitia redde,
Et da non tritum pariter decurrere callem.
At vos mortales, quibus ingens gloria cordi est,
Cognatam sumsisse Deum cum corpore formam,
Vos cantus audite meos: tuque optima turba,
Parua licet, sed fida Deo, et miserentis amica,
Tu me audi, et sanctas effunde perenniter vndas.

Epistolae, quam praefixit carmini, nomen subscripsit Auctor hoc: *Ludouicus Bertrandus Neuman, Schol. Piarum Collegii Nobb. Loewenburg. Rector.*

Ipse in praefatione fatetur: *nonnulla sunt, quae duxi vel omittenda vel etiam adiicienda.* An meliora adiecerit iis,

quae inuenit omisitue, ii iudicabunt, qui vtrumque carmen inter se comparauerint. Nos vero illud dicimus, hos versus magis nobis placuisse iis, quibus Miltoni versus expressit siue noster, siue alius quicunque. Numeri sunt suauiores atque etiam verba ipsa magis pura et Latina. Interim nec paucos versus notauimus, qui Prudentii, versionis bibliorum vulgatae et Christianorum scriptorum potius, quam Virgilii et Romanorum poetarum lectionem et imitationem redolent. Eiusmodi exempla non sunt quaerenda diu. Nam offert fere quaeque pagina: *Deus est dilectio pura: — blasphema, rebellia corda! — Clarificaui illum — Viuificantem auram per inania corpora flasti: Nec modo quae terris phantasmata vana geruntur. — Et iam surrexere Throni: — Ergo topaziferis auroque nitentibus alis cinctus. — Myriadesque Seraph aderunt: — Existatque igitur nostrae deitatis imago Fulgidior. — Victricemque manum per abyssi intermina quasso. — Mundumque hominesque futuros Vidimus in nihilo, nihilque eduximus vmbris.* Sed quid prodest multa exempla cumulare, cum, si vel plura attulerim, semper

ſemper tamen plurima reſtent! Vellem Auctor diligenter obſeruaſſet elegantiam et artem *Hieronymi Vidae*, quam in *Chriſtiade*, carmine praeſtantiſſimo, laudamus et admiramur. (Hic enim, vbi de rebus Chriſtianis loquitur, ea ſermonis venuſtate, ea verborum optimorum elegantia et ſplendore, ea numerorum ſuauitate vſus eſt, vt nil melius in hoc genere optari poſſit. Vidam ſi legimus, non ſentimus, nos legere quidquam, Romanarum Muſarum ore ante indictum et nouum. Noſtri vero verſus vbique aut peregrinitate verborum, aut difficiliore et impedito verborum flumine, repugnantiam quaſi aliquam linguae, nolentis huic argumento inſeruire, indicant.

Sed de huius carminis indole optime tum iudicari poterit, ſi dederimus complures verſus. Eligemus preces, a Chriſto paullo ante abitum ad patrem factas. Nam ille locus pulcherrimus eſt, ſenſusque continet plane diuinos. Illas preces Noſter ſic expreſſit:

Mox ſurgit ceciditque orans vnaque ſodales:
Sublatisque ad Patrem oculis ſic voce precatur.

Hora venit, Genitor, magnum inclaresſcere gnatum,
Vt te clarificet pariter tuus inclytus heros
Tu mihi mortales homines, tu cuncta dediſti;
Funere vt eripiam vitaeque perennibus auris
Impertiam. Eſt autem Genitor vita illa perennis,
Te, Pater, et quem miſiſti cognoſcere Ieſum.
Mundo ego te pandi, o Grandis, curſumque peregi:
Nunc manet ad dextram requies meritumque coronae.
Tu mihi ſplendorem, quem habui procul ante creata,
Hunc mihi tu reddes, Genitor. Docui ecce puſillos
Sorte datos, illique meas tenuere loquelas:
Me quoque, Teque ſciunt, meaque et tua non minus eſſe,
Meque abs te miſſum pariter pariterque potentem.
His ego te pater alme! rogo. ſunt namque vtriusque:
Non

Non rogo pro mundo, quia verum perfidus odit.
Atque ego decedam terris illique manebunt,
Peccantumque diu vexas et pondera tollent.
Serua illos genitor; dictis fac esse fideles;
Sint pariter nobiscum vnum, seque inter amici.
Donec eram in mundo, caris ego prolibus ipse
Prospexi, curamque habui: tua sint modo cura.
Iamque reuertar, ait, Genitor, dextraque sedebo,
Hoc dico: meminisse velint mea pignora nostri,
Quando abero, memorentque suum superesse parentem.
Non rogo, vt eripias mundo, sed protege tantum
Innocuos; nam mundus eos tanquam extera temnit,
Temsit vt et Gnatum, Gnatisque salubria verba,
Ergo illos mihi sanctifica tui lumine veri.
Verum autem doctrina tua est. Illos ego mitto,

Vt

Vt tu me, Genitor. Vitam quoque pono caducam,
Sancti vt sint animis; et pura luce micantes
Aeterno adsistant solio, vitamque perennent.
At non his solis rogito. Complector et illos,
Qui studio istorum venient ad littora veri
Hi pariter sint vnum omnes, vt nos sumus vnum.
Quin ad me quoque peruenient circumque gregentur,
Vt sint, mi Genitor, vbi nos sumus ambo; meumque
Ante dies regale decus de lumine spectent.
Mundus te ignorat, Genitor, ego nosco potentem.
Idque meos docui, Missumque, ipsumque Iubentem:
Quaeque mihi dixisti ingens ingentia vera.
En credunt; tu quaeso illos, tu dilige sanctos.

Quaenam hic est, quaeso, verborum concinnitas? quae numerorum cura? nulla fere.

ſere. Adeo omnia ſunt aſpera, diſſoluta, dura. Nihil dico de contractionibus ſyllabarum, quibus profecto ſuauitas verſuum non augetur: nihil de verbis quibusdam, non Latinis. Sed eſt etiam ſententiarum non exigua obſcuritas, quae ſi minus omnibus moleſta eſt, hoc inde accidit, quia iam legimus hanc orationem in Ioanneo libro, animoque ideo illius ſenſus obuerſatur. Felicius tamen Auctori res ſucceſſit, ſi aut narrat aliquid aut deſcribit. Sic non procul ab initio:

Eſt Solymae ex ortu ſaxoſus in ardua vertex:
Quo procul a turba ſolitus ſecedere Diuus,
Et noctes agere inſomnes ante ora Parentis,
Et ſolio thymiama precans adolere paterno.
Huc tendit Ieſus, ſolo comitante Iohanne.
Poſtquam peruentum ad tumulos vatumque ſepulchra,
Ille procul ſummum conſcendit in ardua montem.
Hic illum a celſo Moria circumdare ſplendor:

Qualis

Qualis in aurato diffunditur aethere fulgor,
Aurora flammante diem, vel qualis ab alto
Nubibus e denſis rapidus deuoluitur ignis,
Conſumitque ſacris holocauſta perennia flammis.
Circum oleae nemus vmbriferum Zephyrique recentes
Leniter adſpirant tenuis ſibilante ſuſurro.
Ipſe Cherub Gnati ſocius pariterque miniſter
Eminus adſtabat cedris, hominumque ſalutem
Aeternosque agitans poſt funera moeſta triumphos.

Nec infeliciter mortem commemorat Chriſti ſub finem carminis:

Iamque illum extremo aggreditur mors iuſſa dolore:
Inclamatque gemens, ſitio! ſitis vltima torquet.
Mox oculi glaciantur et omnia pallor inumbrat.
Exſpiransque: tuis manibus pater optime trado

Demi-

Demigrantem animam. Frigens tunc halitus exit:
Inclinatque caput moriens, moriturque Redemtor.
Protinus auditi fremitus crepitantis abyssi.
Saxa reuulsa sonant, tellus tremit excita motu
Terribili ingenti, nutantque cacumina templi.
Scinditur et velum, panduntur et atra sepulchra,
Exsurguntque animae fremitumque per ima stupescunt.

Dico hos versus meliores esse reliquis, atque eiusmodi versibus vt totum carmen contexeret, operam dare debuisse auctorem, addo. Sed etiam in iis sunt, quae deleri, quae mutari velimus.

V.

Saxonis Grammatici Hiſtoriae Danicae Libri XVI. e recenſione Stephani Ioannis Stephanii cum Prolegomenis et lectionis varietate edidit Chriſt. Adolphus Klotzius.

Lipſiae, ap. Car. Guil. Hollium, 1771. Alph. 3. plagg. 18. 4.

Expreſſa eſt haec editio ad exemplum editionis Stephanianae, magis laudandae ob luculenti et copioſi commentarii praeſtantiam, quem adiunctum habet, quam ob lectionum probitatem. Verba auctoris exhibet admodum corrupta. Vnde a nobis tot vitia ſublata ſunt, vt eorum numerus fere iniri nequeat. Praeſertim, rectius poſitis diſtinguendi ſermonis ſignis, implicitus in illa editione et ſubobſcurus antea ſenſus plurimorum locorum clarior nunc et facilior eſt. Verbis Saxonis ſubiectae ſunt cum coniecturae virorum doctorum, tum diuerſae editionum lectiones, commemoratae a Stephanio in commentario. Diſputationes de lectionum varietate additae ſunt nullae. Nihil enim aliud

in

in hac editione nobis propositum fuit, quam luculentam Saxonis editionem viris doctis tradere, omnibusque cognoscendae elegantiae et facundiae, toties in Saxone laudatae, copiam facere.

Operae vero pretium me facturum esse putaui omnino, noua illius operis editione adornata, quod non vnam ob caussam memorabile dignumque est, vt etiam atque etiam consideretur. Nonne enim, vt nihil dicamus de argumento ipso, pertinet ad ingenii humani historiam, illum virum cognoscere, adeo qui recessit ab aequalium studiis suamque aetatem ingenii praestantia superauit? Quanta ille non solum prudentia et grauitate, sed etiam orationis elegantia res memoratu dignas explicuit! quae in eo antiquitatis cognitio! quae locorum hominumque scientia! quam apta totius operis descriptio! In narrando vero miram illius iucunditatem clarissimumque candorem nemo est qui non animaduertat facile, et animaduersum amet laudetque. Quae quidem licet cuicunque scriptori, in quo has virtutes eminere videmus, laudem concilient, in Saxone tamen fere admirabilia videri debent. Illa enim tempestate vixit, qua inuete-

rata iam barbaries hominum ingenia infuſcauerat, omnemque et cogitandi et ſcribendi eleganter facultatem et laudem oppreſſerat. Hos inter homines, grauiſſimo torpore oppreſſos, nihil, quod litterarum ſtudia ornaret et iuuaret, agentes, ingeniaque, quae in opaco veluti ſitum quendam duxerant, concidentes in dies magis et comminuentes ineptis cauillationibus, vitioſiſſimum corruptiſſimumque dicendi genus regnabat. Hac igitur aetate veluti hilarius renitentem orationem nonne eadem admiratione et laetitia excipiamus, qua ſolemus ſtellam, caliginoſiſſimo coelo emicantem, aut virtutis exemplum egregiae, corruptiſſima in ciuitate eniteſcens, proſequi? Neque ea habet Saxonis opus ornamenta, quae euaneſcant aut emoriantur comparatione meliorum. Ne timeas illum in numero locare eorum, quibus palma in hoc genere ſcribendi debetur. Quid dicam de carminibus, quae Saxo ſuo operi intexuit? Nam vſus ille eſt veterum ſeptentrionis poetarum monimentis, atque, cum fabulas veteris aeui attingeret, factum eſt, vt verſus, quibus poetae antiqui illas narrauerunt, Latinis verbis redderet. Sunt vero illi

verſus

versus venusti: sunt Latini: nitorem habent non exiguum, elegantiam magnam. Et, bone Deus, qualis ille nitor est? non profecto imbellis, qualis auri et argenti, sed qui terret, qualis ferri, quo mens simul visusque perstringitur. Quae elegantia? non muliebris, mehercle! aut mollis, quae indicat animum fractum, abiectum atque effoeminatum. Tanta inest vis et grauitas! tanta spiritus magnificentia! adeo omnia quibusdam neruis quasi intenta sunt! adeo spirant nobilissimum animi ardorem!

De his et aliis nonnulla dicta sunt in *Prolegomenis*. (*pagg. 63.*) Licet enim iam Stephanius verbose egerit de Saxone, magis tamen illius opera in colligendis iis, quae ab aliis dicta sunt, quam in examinandis eorundem sententiis versata esse videtur. Nos quidem primum de vita Saxonis egimus, licet de ea pauca admodum cognita habeamus. Nam de anno quoque, quo ille obiit, variae sunt sententiae. Sed viuit ille in opere immortali, de quo eo diligentius accuratiusque disputare studuimus. Enarrato illius argumento, examinauimus accusationes, easque satis acerbas, qui-

bus onerare famam Saxonis quibusdam visum est. Sed fortasse nos ipsi aliis accusatorum numerum auxisse videbimur. Nam nos quoque libere professi sumus, quaedam non omnino nobis probari in Saxone. Denique artem, qua historicus bonus censetur, consideravimus, spectauimusque electionem rerum, sententias, descriptiones, verba ipsa: non omissis aliorum sententiis. Tota vero hac opera nostra si illud obtinere liceat, vt accendatur in animis virorum doctorum Saxonis amor, aut renouetur potius (nam eum olim fuisse multa testantur) plurimique inuitentur ad cognoscendas clarissimi historici virtutes, impense laetabor, meque laboris qualiscunque mei iucundissimum praemium retulisse iudicabo.

VI.

VI.

Caroli Ehregott Mangelsdorff Art. M. disputatio Academica *de magistro memoriae ad illustrandam notitiam dignitatum vtriusque imperii.* Halae, 1770. pagg. 29. 4.

Eiusdem Disput. Acad. *de iureiurando per gladium.* Ib. eod. an. pagg. 28. 4.

Eiusdem Disput. Acad. *de consacramentalium origine non Germanica, eorumque indole vera ac natura.* Ib. 1771. pagg. 56. 4.

Laude atque fauore prosequi et excitare decet iuuenile ingenium, quod nos olim praeclara a se exspectare iubet. Quae spes eo certior et iucundior est, quo meliora sui vestigia his libellis impressit. Sunt enim ii accurate et diligenter scripti, bonorumque librorum cognitionem ostendunt. Non audies illubenter Auctorem cum viris doctis disputantem, sententiarum causas examinantem, vndique congerentem materiem non inutilem, illustrantemque argumentum sic, vt tibi illum satisfecisse fatearis.

In *primo* libello illustrandum sibi sumsit Auctor munus quoddam antiquum, cuius mentionem aliquam cum in scriptoribus historiae Byzantianae, vt vulgo audiunt, tum in libro praestantissimo, qui inscribitur: *Vtriusque Romani Imperii dignitatum notitia*, reperimus. Alciatus quidem, Rhenanus et Pancirollus in explicanda hac *Notitia*, aut, si malis dicere, in hoc *Breuiario*, seu *Ratiocinario Imperii*, non sine multo fructu elaborauerunt. Satis tamen multa restare putat Auctor, quae expositionem cum vberiorem tum accuratiorem desiderent. Hinc operam posuit in examinando munere, dignitate, atque officio, quo olim in aula Imperatorum Romanorum et Graecorum claruit *Magister Memoriae*, licet iam multa de eo disseruerit Gutherius in libro *de officiis domus Augustae*. Afferuntur leges Codicis cum Theodosiani, tum Iustinianei, quae vel de magistris scriniorum omnium, vel de magistro memoriae perlatae fuerunt. Deinde docet auctor, qui fuerint magistri dicti. Qua in re Romanos Graecos esse sequutos, existimat. Varias deinde exponit vicissitudines, quas illa *Magisterii* dignitas fuit

experta.

experta. Aucta ea fuit atque amplificata sub Imperatoribus, quorum intererat, pristina publici priuatique iuris conditione immutata, nouos institui magistratus, suarumque partium homines nouis exornari dignitatibus. Traxere inde originem Magistri *Augustales* (plures huiusmodi fuisse magistros, non vnum, vt quidam putauerunt, ex inscriptione quadam *Gruteriana* probat) magistri *census*, *militiae*, *vestis lineae et priuatae*, *officiorum*, et inter alios Magistri *Sacrorum scriniorum*, inter quos *Magister memoriae* principem obtinuit locum. Cuius omne munus vt clarius intelligatur, docet, quem sensum Romani verbo *Scrinium* tribuerint, quae fuerint Scrinia augusta, quae magistratuum, quae stataria, quae viatoria; quae memoriae, quae libellorum, quae epistolarum, quae dispositionum. Scriniis istis, quae Auctor ab Augusto inuenta existimat, qui praeerant, dicebantur *magistri*. Copiosius aduersus Gutherium disserit, qui magistros, ante Hadrianum, vllos fuisse, negat. Tum vtrum tres fuerint magistri, an quatuor, quaerit. Largitur Cuiacio, Scrinium dispositionum ab initio Comitem, non

Magiſtrum curauiſſe. Poſt quidem accepit id magiſtrum, ſed dignitate trium priorum Scriniorum magiſtris inferiorem. Non enim primi, ſed ſecundi ordinis dignitate Comitiua exornabatur. Tandem vero Arcadius, anno 377 Scrinio diſpoſitionum eadem dedit priuilegia, eosdem honores, quibus reliqua Scrinia fruebantur. Deinde commemorat virorum *illuſtrium*, *ſpectabilium*, *clariſſimorum*, *perfectiſſimorum*, atque *egregiorum* ordines et honores. Affert nonnulla de inſignibus, quae in Codicibus nonnullis conſpiciuntur. Exhibent ii ſeptem, recta linea diſpoſitos, et fibulis conſtrictos codices, quorum alii viridi, alii rubro corio teguntur. Quatuor inter eos ſpectantur aperti, quorum vnus obſcuras quasdam litteras Graecas continet, quas magnum illud Vniuerſitatis Vitebergenſis ornamentum, *Ritterus*, ita reſtituit ἑῳ φιλῳ ἀφνειῳ φαναιῳ, *amico ſuo illuſtri*, *prudenti.* Ab latere his intermiſſi videntur chartarum inuolutarum faſces. His explicitis ipſum auctor Scrinium memoriae ingreditur. Oſtendit, magiſtrum nullum geſſiſſe officium, ſed aliorum, qui in ſcriniis militabant, opera fuiſſe vſum.

Quales

Quales hi et quot fuerint, e legibus Codicis eruit. Recentioris vero temporis Magister memoriae valde ab eo diuerſus fuit, cuius iam meminit Codinus; hunc iste ἐπι των ἀναμνησεων appellat, ideoque institutum dicit, vt virorum, qui bene de republica meriti essent, nomina principi reuocaret in memoriam. At memoriae Magister *adnotationes omnes emittebat, et precibus responde-bat.* Adnotatio hic, vti e Nouella quadam Valentiniani apparet, admisi criminis indicat indulgentiam. Quae vero inter adnotationem, et reſcriptum fit differentia, vberius ab auctore exponitur. Emittebantur etiam e Scrinio memoriae *litterae probatoriae*, quae dabantur *agentibus in rebus.* Inter quos inuenimus *Principes*, *Ducenarios*, *Centenarios*, *Biarchos*, *Circuitores*, et *Tirones.* Praeterea Magister memoriae principi ſuggerebat, quae iuri conuenirent. Hic deinde ex eius admonitione priuatorum precibus ſubnotabat. His limitibus memoriae ſcrinium circumſcribit *Notitia*, et, qui eam ſequuntur, ſcriptores. Auctor vero noster ex inſcriptione aliqua, quam habet Reinesius, e loco quodam Nicephori et Aurelii

Augustini probare studet, Magistrum memoriae, cursus quoque publici gessisse curam.

Iurisiurandi per gladium, quod argumentum *altero* libello tractat, originem a cultu illo diuino deriuare studet, quo gentes arma sua olim venerati sunt. Affert multa diuini huius cultus testimonia: prae reliquis e Luciano. Vossium et Casaubonum erroris arguit: hi enim dixerunt, veteres gentes, Scythas prae reliquis, arma non vt numina, sed vt symbola eorum coluisse. Antiquissimae gentes hastas, vti Iustinus testatur, pro diis immortalibus colebant. Hastas istas Graeci dicebant sceptra. Peculiarem sceptri illius cultum, quod Ioui fabricasse Vulcanum Homerus cecinit, memorat Pausanias. Graeci iurabant per haec sceptra, per lanceam, Romani per gladios, per signa; Persae per hastas; Scythae per acinacem. Testantur hanc rem Homerus, Aristoteles, Ammianus Marcellinus, Lucanus, Tertullianus, Xenophon, Iustinus, Lucianus, alii. Prae reliquis autem, ius iurandum per gladium adhibitum fuit ab antiquis Germaniae populis. Sanctissimum illud crediderunt iusiurandum cum in negotiis

iuris publici, tum priuati. Praestitum fuit vel per arma, vel gladiis strictis humique defixis, vel digitis aliquot, totaue manu gladio impositis. Cuius ritus testimonia satis multa ex scriptoribus aeui medii, et e legibus antiquis afferuntur, quas, praeter alios, collegit Lindenbrogius. Vestigia aliqua huius iurisiurandi inuenisse sibi videtur auctor in aliis, quae recentiore tempore constituta fuerunt.

In *tertio* libello proscribendam sibi sumsit originem Consacramentalium e iure Germanico. Tribuit eam Pontificibus Romanis. Primum differentiam ostendit inter testes iuratos, et consacramentales. Diuiduntur isti *in nominatos*, *aduocatos*, *et electos*, de quibus minus recte disputasse *Cangium* contendit. Omnia, quae huc pertinent, perlustratis singulis Germanorum populis, affert, atque exponit. In Suecia ii nondum abiere in desuetudinem, nec in Imperio R. G. lege peculiari abrogati sunt. Ritus, qui in proferendis sacramentalibus fuerunt adhibiti, varios illustrat, iniuriamque Germanis a doctis viris ob vsum sacramentalium illatam repellere etiam atque etiam studet.

VII.

Oratorum Graecorum, quorum Princeps est Demosthenes, quae supersunt, monumenta ingenii, e bonis libris a se emendata, materia Critica, Commentariis integris Hieron. Wolfii, Io. Taylori, Ierem. Marklandi, aliorum et suis, indicibus denique instructa edidit *Ioannes Iacobus Reiske*.

Lipsiae, Vol. I. 1770. pagg. 808. Vol. II. Alph. 4. plagg. 18. Vol. III. 1771. pagg. 820. 8.

Pertinet hoc opus non magis ad *Reiskiani* nominis, tot aliis iam monimentis nobilitati, famam, quam ad gloriam patriae nostrae. Renouatur illo laus Germaniae, modo illa nosse incipiat sua bona! antiqua, quae olim veterum auctorum libris euulgandis optime de litteris merebat. At licet popularium animi fere ad alia studia quasi tempestate abrepti esse videantur, ad quae tanquam ad scopulos ita adhaereant, vt nil aliud curent amentque, magno tamen et intrepido animo rem aggressus est *Reiskius*. Suis sumtibus

hoc

hoc opus suscepit; strenue in eo perficiendo perrexit, nec omisit quidquam, quod ad ornandam nouam Demosthenis editionem facere putaret. Et fauit profecto fortuna aliqua ex parte honestissimis viri consiliis. Nactus enim est ea cum ornamenta, tum adiumenta bonae editionis, quae editori cuicunque veterum librorum non possunt non optabilia esse. quibus quam bene, quanta prudentia, quam accurato studio vsus sit Vir Cl. non opus est, vt narremus. Loquimur enim de viro, in hoc doctrinarum genere exercitatissimo, satisque et diu cum magna laude in hoc theatro spectato.

Verbose Vir Cl. in *Praefatione* Vol. I. enarrat ea, quae ad hanc editionem pertinent, atque de nouae editionis subsidiis atque ratione vniuersa exponit. De his nos breuiter quidem, at sic agemus, vt pateat, verissime gloriari Virum Cl. "Prodit Demosthenes nostra qualicunque opera, non perpolitus ille quidem, quod vel sperare sit arrogans et vecors, ita tamen emaculatus, id quod aienti mihi haud vereor ne res ipsa contradicat, vt superiores omnes editiones haec nostra lectionum praestantia fideque sit superatura." pagg. 108.

Primo

Primo loco enarrat accurate editiones Demosthenis, a se adhibitas, in his Aldinam, a. 1504. e qua reuocauit ad lucem Vir Cl. multas bonas lectiones, temere ab aliis neglectas: (quo loco docet, duas ab Aldo eodem anno, sub eodem titulo, sed nonnullis lectionibus diuersas editiones datas fuisse) Herwagianas quatuor, Feliciani, editiones Hier. Wolfii, viri de Demosthene immortaliter meriti, Parisinam, a. 1570. a Benenato datam, quae fundus est editionis *Reiskianae*, Taylori, ne quid dicam de singularium orationum editionibus. Has vero omnes tam accurate recenset, nihil vt possit cogitari accuratius, nihilque doctius. Cuiusque editionis dotes atque vitia commemorat, neque omittit quidquam, quod ad eam pernoscendam faciat. Si quis iudiciorum specimen aliquod desi-
p. 46. deret, ille perlegat, quae de Tayloro dicit, cuius Demosthenem, credo, quia in Anglia excusus est et luculentam speciem praefert, (quae tamen species nec *Reiskiano* Demostheni deest, chartarum et litterarum nitore commendabili) nonnulli apud nos in coelum laudibus tollunt. Noster eum dixit meliorem esse

iuris

iuris Attici interpretem, quod in hoc regnaret, quam criticum et emendatorem; quo in genere eum parum valere et paene contemnendum esse profitetur. Neque etiam praeteriit iniurias a Tayloro Wolfio illatas, quem ille persaepe sine caussa exagitat, ridet, vexat. "Ecquis, praeter alia scribit, Taylor ad Wolfium? Largiar, Anglum in iure Attico paulo plus vidisse Germano, quod mirum non est post scripta Petiti, Salmasii, Maussaci, et maxime Valesii ad Harpocrationem, quae Wolfii aetate nondum nata erant. Largior hoc quoque, Taylorum instructiorem fuisse copiis librorum Demosthenicorum, et melius iis vti sciuisse, quam Wolfium, quem aetas tulit nascentis adhuc Critices et in ordinandis illis lectionibus fuisse diligentiorem atque solertiorem. In caeteris tamen omnibus aio Wolfium Tayloro anteferendum. Plus laboris exantlauit in Demosthene interpretando, melius sententiam eius perspexit, et reddidit, melius Latine calluit, pluribus locis medicinam, et feliciorem quidem, attulit, quam Taylorus, cuius emendationes, ex ipso natae, pleraeque aut leuiculae aut manifesto falsae sunt, vix tres quatuorue

in

in totó agmine capitales, quarum ei magna ſit habenda gratias, quibus inueniendis non aliud quodcunque par fuiſſet ingenium." Abſoluta recenſione
p. 50. editionum, de verſionibus agit Demoſthenis et de Commentariis in Demoſthe-
p. 53. nem. Paullo poſt enarrat codices, ma-
p. 54. nu exaratos, et quibus alii vſi ſunt, et quos ipſe conſuluit. Habuit vero codices ſex e bibliotheca Auguſtana, vnum Bauaricum, refertum varietate lectionum, ſuper verſus et in marginibus ſcripta, Meermanianum, at hunc futilem et vix adhibitum. Praeterea nactus eſt e bibliotheca Vinarienſi exemplum Aldinum, duorum codicum lectionibus inſtructum, atque aliud, ſimili dote ornatum.

Ex his igitur codicibus recepit eas lectiones, quas probas iudicauit, vetuſtioribus iisque prauis deletis. Vbi vero ſuo arbitrio aliquid mutauit aut poſuit, ſtella addita monuit lectorem. Scilicet exſpectandum eſt Animaduerſionum Demoſthenicarum volumen, in quo lectionum rationem reddet Vir Cl. Nam in his voluminibus nullas addidit Demoſtheni obſeruationes, ideoque nos etiam abſtinemus in recenſendis cum

nouis

nouis lectionibus, e codicibus erutis, tum coniecturis. In illo libro, quem non immerito appellaturi nobis videmur fauissas Criticas, quid propositurus sit Vir Cl. ipsius verbis narrare iuuat. "Demonstrabit liber noster, variantium quid lectionum Demosthenicarum versetur in libris, quorum copia nobis fuit, et quid vetustas nobis tradiderit, tum quis primus vitium cuique loco intulerit, denique quis primus corrrexerit, aut quomodo vitium corrigi debeat. Hac demum ratione potest de veritate lectionis Demosthenicae constare. Non minore religione a nobis tractari debent auctores profani atque Nouum Testamentum, qua de causa codices N. T. sedulo excutimus, eadem de causa etiam Demosthenis aliorumque, quotquot sunt, vetustorum auctorum codices inspici, earumque lectiones erui et proferri par est. nam sola haec via est veritatem historicam textus cuiusque, siue sacrum, siue profanum est, e consensu multorum vetustorum probatae fidei codicum demonstrandi. Sic cognoscimus origines errorum, sic modos emendandi, sic multa occulta vitia inuestigamus, sic corruptorum nequitias deprehendimus, sic lau- p. 76.

dem. emendati aut vindicati cuiusque loci auctori suo tribuimus. Ego equidem cum video, strenua doctorum hominum opera aliorum post alios limatum Demostenem et gradatim meliorem factum, vt nunc possimus, eo cum aliqua delectatione, multo expeditius atque maiores nostri poterant, vti, veneror eorum manes, qui mei causa, quem non norant, nondum natum, innumerabiles suscepere labores, quorum neque numerum, neque magnitudinem cogitatione consequatur, nisi qui simili in pistrino desudauerit; parique modo spero futurum, vt grata posteritas meminerit aliquando, fuisse Reiskium quendam, hominem laboriosum, qui, quo Demosthenem sibi in manus daret lectu et perceptu planiorem emaculatioremque, nullis vigiliis, nulli operae, nulli pecuniae adeo pepercerit, multas commoditates spreuerit, multas taedii plenissimas molestias vltro susceperit, sannas stultorum contemserit, iacturam rei familiaris bonaeque valetudinis bono publico lubens condonauerit, vires mentis et corporis impenderit ignotorum studiis, commoditati, delectationi." Lubenter Viri Cl. longiorem

etiam

etiam orationem repetiuimus. Nam placet ingenua indoles, placet candor, quem ea praefert. Nec taedet alium locum huc adferre, vbi libere de suis coniecturis loquitur. "Haud me fugit, magna me laborare inuidia, atque infamia ideo, quod auctores veteres coniecturis meis, vt clamant, contaminem. Haud equidem inficiabor, fieri aliquando, vt importunitate quadam mea labis aliquid vetustis auctoribus adspergam. Humanum hoc est. Negari tamen rursus nequit, ringat licet et rumpatur inuidia, me multo plures locos grauissime affectos et despurcatos in Petronio, in Theocrito, aliisque, si quos edidi (qui pauci sunt) sanasse feliciter." Non aegre feret Vir Cl. pro candore suo, quem credo illum etiam in aliis amare, si me libere professus fuerim inter eos nomen profiteri meum, qui aegre tulerint tantam correctionum copiam, quibus illum veterum auctorum verba, codicum auctoritate firmata, mutare saepe vidimus. Ingenii vero acumen et Graecarum litterarum intelligentiam reconditam semper obseruaui, quoties illarum coniecturarum syluulam perlustraui, immo optaui interdum, vt cre- p. 79.

 dere

dere liceret, ſic ſcripſiſſe veteres, vt codicum veterum auctoritas accederet. Tanta inerat frequenter his coniecturis elegantia!

Volumen I. partem priorem habet dimidiam Demoſthenis: *Vol. II.* poſteriorem partem. Obſeruationum nihil
p. 94. his voluminibus ineſſe, iam dixi. At
p. 211. Praefationi Vol. I. et Volumini II. ſubiecit Vir Cl. indicem lectionum earum, quae in editione Pariſina, a Morello et Lambino curata, leguntur, aliisque, e coniectura enatis, permutatae ſint, et indicem alterum coniecturarum virorum doctorum, quas Vir Cl. recepit. Vlpiani, cui vulgo tribuuntur, commentarios omiſit. At Vol. II. ſubiunxit alia Scholia e codicibus, Bauarico et Auguſtano. "Per me, inquit, ſi ſtetiſſet, Scholiorum prorſus nihil Demoſtheni meo addidiſſem, pleraque enim caſſa nuce inaniora, futilia, inſulſa, triuialia, puerilia ſunt. oratio intolerabiliter ſoloeciſſat. Verum torrenti quis reſiſtat?" Scilicet lubenter Scholia antiqua apud nos crepant, qui Graecarum litterarum periti videri cupiunt, atque neſcio quam virtutem deeſſe clamant editioni, in qua nugae Grammaticorum non apparent.

parent. Auguſtanorum Scholiorum vix tertiam partem Hier. Wolfius edidit, mutatis aliis, aliis additis. Quae omnia a Noſtro fidelius et melius exhibentur. At ipſe deplorat bonas horas, quas ſic perdidit. "O quantum mihi periit boni otii in illis ſcholiis, ſaepe caſſa nuce non dignis, exſcribendis et digerendis, et ad paginas verſusque noſtrae editionis et Pariſinae alligandis, quod otium in lectione et meditatione auctorum bonae notae veterum recentiorumque multo maiori cum fructu et delectatione animi poterat collocari." Addita quoque eſt Vol. II. tabula, qua conſenſus paginarum Demoſthenis huius cum aliarum editionum paginis indicatur. Non eſt eiusmodi tabularum ſplendida ſpecies: at magna vtilitas, nec eae paruo labore conſtant.

Non licet ad tertium volumen progredi, niſi enarratis iis, quae in ſecuturis haec voluminibus daturus ſit Vir Cl. Dabit igitur Lyſiam et reliquos oratores minores, immo, ſi res bene ſucceſſerit, ſingulari volumine, quicquid veteres critici, Dionyſius Halicarnaſſenſis imprimis, ſuper vetuſtis his oratoribus commentati ſint, complectetur. Tum redi-

 bit

bit ad Demosthenem. Indicibus instruet Demosthenem et eius sodales, historicis, geographicis, legum, vocabulorum et formularum. Demosthenis indices volumen vnum implebunt. Tum alio volumine dabit dedicationes et praefationes editionum Demosthenis superiorum omnium: addet Wolfii vitam, ab ipso copiose conscriptam, nec adhuc editam. Reddet, praeter Wolfii et aliorum annotationes, Taylori Demosthenica, et quae edita sunt ab illo, adhuc superstite, et quae in aduersariis relicta sunt. Varietatum quoque lectiones et commentarios suos exhibebit. Quibus omnibus in lucem proferendis fauentem Lucinam ex animo precamur!

Nunc *tertium* Volumen aperiamus, quod *Aeschinis omnia* complectitur. In
pagg. 40. praefatione recenset aliorum editiones
Vir Cl. Durum de Tayloriana iudi-
p. 29. cium legimus, neque tamen iniustum. Quae in illa bona sunt, in suam transtulit editionem, in his animaduersiones virorum doctorum, nouisque illa auxit ornamentis, id est, suis animaduersionibus, atque Salmasii ineditis et Marklandianis, antea editis, auctioribus. Pri-
p. 713. mus quoque edidit Scholia Graeca laudata

data ea a nonnullis, sed quae a se ipso non magni fieri fatetur. nam, quid de scholiastis vniuersis sentiat, non celat lectores. "Ego totum paene genus scholiastarum contemno et ab eorum lectione tota vita abhorrui, quos ludimagistros, blaterones, infantes, rerum antiquarum imperitos et paene stultos vsu meo deprehendissem." Additus p. 770. quoque est libellus variarum lectionum, collectus cum e schedis Taylori, qui partem tantummodo earundem ediderat, tum e codice praestantissimo Vniuersitatis Helmstadiensis. Multo plura, quae ad Aeschinem pertinent, habebit aliud volumen: in his versionem Latinam. quam vtinam addidisset quoque Vir Cl. Demostheni! Fortasse allexisset ea plures emtores. Nam, quod in tanto contemtu Graecarum litterarum, in tanta vanitate nostrorum studiorum, interdum veritus sum, ii, qui, et in Germania et aliis in terris docti viri dici haberique cupiunt, hoc opus non studuerunt adiuuare eo fauore, qui si porro absit, (quod vt Musae Graecae auertant, precarer, nisi miseras puellas scirem auxilio egere ipsas, non aliis succurrere posse) si igitur eodem frigore, quo ad-

huc, excipere Demosthenem pergant viri, qui dicuntur, litterati, honor quidem et laus manebit nomini *Reiskiano* integra, at res boni viri familiaris detrimentum capiet certissimum. Acerbas ille querelas (*praef. ad Aesch.* p. 36.) profert, sed easdem, quia iustae videntur, a nobis hoc loco repetendas. "Turpe dictu et paene incredibile est, quam in hoc tam arduo opere, tam ad gloriam patriae, tam ad ornamenta bonarum artium pertinente, a liberalitate, non dicam publica, quae hac aetate frustra speretur, sed a priuata eorum sim desertus, qui bonae litteraturae et graecae inprimis statores haberi volunt. Non hi modo non commendant, quod facere poterant, atque debebant adeo, sed vereor, ne sint quoque, qui infament etiam hoc opus, atque in suspicionem et inuidiam adducere laborent. Suppetiae mihi venerunt pecuniariae, vnde minime speraueram. Symbolas miserunt hi, quos homines natos non noram. Quos amicissimos habere credebam, quibus fidebam maxime, hi me destituunt, videntes, quo vortice circumagar. Per illos non stat, quo minus ab illo vortice hauriar. Dona neque tuli a quoquam,

neque

neque poſco. Satis mihi erit, frequentes ſi coeant emtores. Προσεισφορὰς, ſeu praenumerationes pretii, haud abſolute poſtulo, quanquam cum gratulatione ſim accepturus, ſi qui conferre volent. Contentus ero, ſi volumen, vt quodque prelo exierit, ematur. Periclitatur, ciues, gloria patriae, periclitatur ſalus Graecae litteraturae, in Germania reuiuiſcere conantis, ſi diffidentiae veſtrae, ſi ſordibus, ſi inuidentiae, ſi priuatis quibusdam mecum ſimultatibus aliisque animi morbis ita cedatis, vt coeptum hoc in ipſo partu elidi patiamini." Haec *Reiskius*. Equidem de me p. 39. libere confiteor: ingemui, cum legerem, centum et quinquaginta exempla vendita eſſe a Viro Cl. et mecum ſic cogitaui: 'Hem: quid hoc rei eſt? adeo iacere litteras has toto in orbe, vt ille omnium ſeculorum voce laudatus Demoſthenes non emtores inueniat! adeo nos deſciuiſſe a moribus maiorum, qui editionibus Graecorum ſcriptorum, iisque multo minus politis et emendatis, valde delectabantur? Qua vero non laude, ſed admiratione dignum eſſe exiſtimem animum *Reiskii*, qui, non ſua culpa, ſed Fortunae errore, in re non

admodum lauta constitutus, non reformidet periculum peculii, non abiiciat animum, strenue persequatur opus vtile, contentusque sit beatusque sibi videatur, modo sumtus, publici commodi causa erogati, ad se redeant: cum interim alii nihil agendo, certe somnio quasi et otio, diuitias colligant. Quot in ea vrbe, in qua viuit *Reiskius*, singulis nundinis prodeunt gerrae, quot nugae? Nec paucis eae ineptiae numulis veneunt: aureis illae emuntur. Venduntur tamen! gaudent iis Sosii et exultant. Immo etiam quosdam veteres auctores in ea vrbe euulgari memini, quorum editores profecto non tot horas iis impendisse videntur, quot *Reiskius* Demostheni suo menses impendit. Inueniunt hi, quibus notulas suas sat charo pretio vendant. Quam miserum est, his quoque in rebus partium studia valere nominisque famam et speciem animos decipere. Haec ego mecum. Vbi vero nomina conspexi eorum, qui Demosthenis exempla sibi petierunt, fateor, genas rubore incalescere sensi. Illos enim desideraui, qui sibi litterati in Germania chori principes, qui regnare sibi videntur in his litteris. Qui cur suo

prae-

praesidio opus patriae tam honorificum, litteris adeo vtile, tueri nolint, vel exempli causa, non assequor. Certe, si vel causam assequar, eam dicere nolo. Quis vero non videt, quo alacrius processurus sit in suscepto negotio Vir Cl. quo minus passurus sit languescere honestissimum efficacissimumque sui animi ardorem, eo maiores illi gratias posteritatem, gratiorem, vt vel boni ominis caussa sperare lubet, et doctiorem, debituram, eo facundius nomen *Reiskianum* celebraturam, eo honorificentius illius memoriam vsurpaturam cinerique viri meritissimi de se bene precaturam esse. Atque huius in laudis societatem vt veniat, par est, honestissima, quam Vir Cl. in matrimoni a habet, foemina, *Ernestina Christiana Mulleria*. Haec enim non solum in comparandis Graecis codicibus, atque digerendis describendisque chartis vtilem operam praestitit marito, sed effecit quoque suis consiliis, vt hic retineret operis perficiendi consilium, quod parum abfuit quin abiiceret, Nam cum inde ab octodecim collectoribus tantum sex pecuniam contulissent, iis numos remittere decreuit Vir Cl. "Sed inquit, (nam retinenda sunt hono- *Praef.* Vol. I. p. 106.

hononorificentissimi testimonii verba omnia) intercessit vxor, quae, tametsi cerneret, commoda ipsius sua tam periculoso et ancipiti coepto minui, aut certe in discrimen dari, me tamen hortata est, vt, confisus dei auxilio, qui inuia complanare dubiisque et desperatis rebus insperatam salutem affere nosset, fidem datam liberarem, reique publicae ne deessem, et melius, quam solerem, de liberalitate huius seculi sperarem. Ab ea igitur impulsus, et permotus rem meam in discrimen dare ausus sum, chartas emi, conduxi typographum etc." Ad foeminas eruditas saepe referri videmus, quae versiculos quosdam, satis mediocres, cantillent, aut nescio quid nugarum euulgent. Quanto maiori iure *Reiskia* laudem cultumque a nobis postulat, quae litteris operam, non specie inani fallacem, sed vere vtilem, praestitit, lubenterque ea peragenda suscepit, quibus perficiendis inter eas, quae nunc viuunt, doctas foeminas nullam omnino parem esse arbitror.

Luben-

VIII.

Lubenter locum damus litteris Viri Cl. *Augusti Friderici Schotti*, eruditissimi in Lipsiensi Vniuersitate Iurisprudentiae doctoris, de *Lipenianae Bibliothecae* editione ad nos datis. Fore enim speramus, vt faueant viri docti consilio *Schotti* nostri, a cuius ingenio doctrinaque admirabili optima quaeuis exspectamus. His vero in litteris licet videamus virum praestantissimum suae erga nos beneuolentia multum dedisse, eaque de nobis dixisse, quae vtinam in me agnoscam! nolui tamen delere vel rescindere quidquam. Integras decebat has litteras proponere.

Vir illustris atque Celeberrime,

Veniam dabis mihi, Te, doctissimis atque elegantissimis laboribus, quibus de studiosa iuuentute, ad Tuam cathedram aduolante, pariter ac de vniuerso orbe literario, ab elegantiae sensu non plane alieno, insigniter mereris, fere obrutum, literis meis interpellanti, quibus,

bus, si non aliam habeant commendationem, (habent autem fortassis aliquam ob argumentum, de quo ad Te scribo) certe ob egregium, quem hactenus expertus sum, quemque plurimi facio, Tuum erga me fauorem. Te haud succensurum esse spero. Scias igitur, ne iusto verbosior sim in limine harum literarum, me nunc in emendando ac supplendo Lipenio, *communi ICtorum, qui rem suae artis literariam curant, asylo, opere magis molesto, quam glorioso aut lucroso, desudare. Magnam profecto gratiam iniit vir ille bonus apud nostros homines, collecta* Bibliotheca reali iuridica, *quae a paruis orta initiis, curis doctissimorum virorum adeo accreuit, vt duo iam volumina opus comprehendat. Quemadmodum autem in re inprimis literaria nullum opus adeo perfectum est, vt omnibus numeris absolutum praedicari possit, ita nemo erit harum rerum intelligens, quin post has curas magnum adhuc spicilegium in colligendis scriptorum iuridicorum titulis relictum esse fateatur. Hoc ex consilio virorum doctorum probe intelligens, qui tersissimam huius operis editionem anno hu-*

ius

ius seculi quinquagesimo septimo Lipsiae suis sumtibus curauit, Wendlerus, vir rei literariae promouendae studiosus, in praefatione promiserat post aliquot annorum lapsum nouis additamentis opus ornare. Sed partim funesti belli series quod tum temporis tantum non omnia bona consilia turbabat, partim alia impedimenta effecerunt, vt is quidem promissis stare non posset. Iam vero, cum tota officina Wendleri libraria emtionis iure ad Fritschium, *bibliopolam huius vrbis honestissimum atque clarissimum, peruenerit, cepit is serium supplendi et emendandi Lipenii, qualis ex nouissima editione est, consilium, idque negotium mihi dedit, laboriosum quidem, a me tamen vix recusandum, partim quia rei literariae sum amantissimus, partim quia haud inutilem operam in eo perficiendo collocari constat. Prodibit igitur* continuatio Lipenii (*non noua eius editio*) *hac fere inscriptione:* Supplementa et Emendationes in Lipenii Bibliothecam realem iuridicam. *Seruabitur eadem forma, idem ordo, eademque ratio, quae in nouissima Lipeniani operis editione conspicitur, ita quidem*

vt.

vt secundum seriem titulorum ac materiarum ibi dispositarum, nulla in ordine mutatione facta, (haec enim profecto vsum operis difficilliorem redderet) partim librorum scriptorumque, qui ibi deficiunt, cum aut omissi sint, aut postea demum prodierint, notitia ex omni iurisprudentiae parte suppeditetur, partim, vbi quid minus recte dictum adpareat (adparent autem bene multa) quantum fieri potest, corrigatur. Adiicietur etiam vtilissimi indicis auctorum continuatio. Laborem intra biennium ita finitum iri, vt typis mandari possit, (erit enim alicuius molis) spero. Opus quidem omnibus numeris absolutum, in quo nihil praetermissum sit, nihil amplius emendandum, polliceri non audeo, nec, si promitterem, temeritatis et ostentationis notam apud viros peritos effugerem. Id solum spondeo, me omnem operam daturum esse, ne expectationem, quam literarum amatores de meo instituto forte conceperunt, fefellisse videar. Est enim mihi apparatus literarius haud exiguus multoque studio conquisitus, valde auctus et adhuc augendus symbolis virorum in

hoc

hoc genere celeberrimorum, partim ad me iam transmissis, partim promissis, quorum insignem humanitatem atque beneuolentiam, commemoratis nominibus, in operis praefatione grata mente praedicabo. Rogandi enim mihi sunt omnes, non tam mei, quam publici commodi caussa, vt si commode fieri possit, Lipenium meum suis diuitiis locupletiorem reddere velint. In quibus gratissima mihi inprimis erunt, quae de scriptis in academiis, catholicorum sacris addictis, nec non apud exteros atque in Hispania, Gallia, Italia, potissimum vero in Belgio editis, itemque de Deductionibus, quas vocant, vel ad me, vel ad Fritschium referentur. Sed et alia grata mente accipiam. Huius vero mei consilii iuuandi certiorem adhuc spem concipere licet, si Tibi, Vir Celeberrime, in elegantissimis Actis literariis commemoratione et commendatione illud forte dignum videatur. Quod nescio, an a viro, ad literas ornandas et amplificandas nato, temere petierim. Habes igitur mearum literarum veram caussam. Nihil addo, nisi hoc, vt nunquam non valeas in musarum deli-

tias, Tuoque egregio fauore, quo nihil felicius mihi contingere poterit, amplecti pergas

Celeberrimi Nominis Tui

Lipſiae

die XXIV. Iulii

CIↃIↃCCLXXI.

cultorem perpetuum,

Auguſtum Fridericum Schott.

IX.

Tentamen poeticum per Epigrammata. Brandenburgi, ex offic. Halliana, 1771. pagg. 48. 8.

Epigrammata poetica, Tentamen secundum; a P. M. K. M. D. et P. Ibid. pagg. 48. 8.

Vix iratiore quisquam Apolline animum ad versus scribendos appulit hoc homine, cui omnia desunt, quibus censetur carminis praestantia. Deest illi ingenii elegantia et suauitas, deest latini sermonis scientia accurata, immo, quod multo peius est, grammaticae Latinae cognitio saepius desideratur. Ipse quidem de se dicit:

Vt polit ursa suos lambendo saepius ore
Foetus, sic polio carmina saepe manu.

At nihil minus politum his versibus asperis, duris, ineptis, cogitari potest.

Facile ego praeuideo, parum iucundam fore huius censurae seueritatem auctori. alios se Criticos amare atque optare his versibus testatus est:

Rideo censores, quibus est sapientia nulla
Censorem laudo, dum mihi fautor erit.

Quomodo vero fautorem exspectare potest Censorem is, qui puerili conatu tales versus scripsit, quales habent hi libelli? Nam si legeris has nugas, videbis, quam vere de se scripserit is:

Possem, si vellem, totum conscribere mundum
Carminibus, carmen nescius ipse cano.

Certe videtur, quid ageret, quid diceret, quid sit, versus scribere, nesciuisse, qui carmen hoc composuit, quod adscribemus.

In medicum Vnzer.

Vnzer en arti dedit hocce rarum
Numen, hoc nomen medico paratum est,
Vnzer arti nam medicae columnas
Struxit amicas;

Vnciam scribit medicus peritus
Vnicam certe satis est, perite
Nostra voluens corpora, quod negabunt
Pharmaca multa;

Vncias

Vncias laudis numerabis inde
Mille, ego dicor medicus, poeta
Laudo te, laudem citharae paranti
Parcito noſtrae.

Vncias laudo, venerorque mentis
Artibus ſacrae medicis, ſed, ecce,
Ars petit, poſcit; meliora ſcripta
Concinat Vnzer.

Verusne fui, cum paullo ante dicerem, miſerum eſſe verſuum conſarcinandorum artificem hunc hominem? Quam ille verba diſtorquet et alieno loco ponit! quam ineptos ſenſus verbis peſſimis includit! Vno verbo, quam dignus eſt, quem ſcandere conantem montem Aonium furcillis eiiciant Muſae! Quod quicunque durius a nobis dictum eſſe cenſeat, ille vero legat alia eiusdem poetae, ſi dIs placet, carmina.

Bibliopolae.

Chare, tuas chartas vis vendere, nullus habebit
Nummos, hos nullo tempore doctus habet.
Haec arcana manent ſemper, flammaeque dabuntur,
Mox, ea qui fidibus ſiue parabit, erit.

In laudatorem epigrammatum.

Tu mea perſpiciens laudaſti carmina, care,
Nam peccata vides, doctior illa ſiles.
Aſtutum dico, nam vis ſtimulare poetam
Me, vis, vt morſus cantibus ille notet.

In Pſittacum.

Dat quinquaginta volucris, Morphee, thaleros
Tympana, (ſi ſileas!) nulla quod ille mouet.

In declinationem generis.

Vos abauos, atauos et auos vos conuoco cunctos,
Dicite, cur iungat verba poeta nepos?

In virtutem, quod aurum habeat.

Virtutem quaero, nam virtus continet aurum,
Ruſticus, haud aurum *nam leuis* aura *dabit.*

In bona et mala.

Sunt bona mixta malis, mala ſunt quoque mixta bonisque,
Quae bona non, mala ſed carpit, Adamus erit.

In conuentus Caesareos ac Regios in Morauia.

Qui quondam gladio Mauortis campus aratus,
Dulcibus hic linguis campus aratus erit.
Praelia posteritas heroum, praelia grata
Vt voluat posthac, Pyramis alta notet.

In magistrum.

Salue, sis salue, salueto, dico Magister,
Si tria non audis verba, Magister eris.

Ad Lectorem.

Conscia mens recti peruoluas carmina nostra,
Si mala mens tibi sit, saepius illa legas;
Non priuata cano, generalia carmina scribo,
Verbera *non*, *claudant carmina* verba, *vale.*

Sed quis legendi scribendique talia molestiam diutius sustineat? Quiduis agere, quam hos libellos relegere, malo. Ab iis illi legantur, quibus flagitii alicuius poena luenda est.

Optauimus saepe, vt in Germania renouetur, quod olim apud maiores no-

ſtros valde floruit, Latinorum carminum ſtudium. At poenitet fere voti. Nam ſi plures eiusmodi verſificatores prodierint, quem ex illorum impuris ineptisque nugis litterae fructum percipient? immo quantum minuetur iſtorum barbarie et puerili luſu, parta optimorum virorum ingeniis, Germaniae noſtrae fama et gloria!

X.

Diatribe in Fragmenta Geographicorum Eratoſthenis: auctor Laurentius Ancher, Hafnia-Danus, Decanus communitat. Reg. Hafnienſ. Gottingae, 1770. pagg. 26. 4.

Pulchrum dedit huius libelli auctor doctrinae rectae et accuratae ſpecimen, illuſtraturus Eratoſthenis fragmenta, quae reſtant, omnia. Haec certe prima particula operis maioris praeclare nos ſperare iubet de reliquis.

Scripſit vero ille Eratoſthenes, Alexandrinae bibliothecae praefectus, multiplici variaque doctrina inſtructus, per-

multa.

multa. Nulla fere pars fuit litterarum, quam ille non attingeret. Sed eorum operum omnium, si Catasterismos excipias, nihil restat, praeter fragmenta quaedam, quae dispersa exstant apud varios scriptores antiquos.

Nullius operis iacturam aegrius fert Vir Cl. quam illius, quod sub nomine Γεωγραφικῶν, Γεωγραφουμένων, Γεωγραφίας ab auctoribus Graecis laudatur. Immo licet Marcianus Heracleota Eratosthenem furti accusauerit, illumque librum quendam Timosthenis, paucis tantum adiectis, totum repetiisse, criminatus sit, noster tamen iniuria eum accusari arbitratur. Nititur inprimis auctoritate Strabonis, qui non solum hoc factum silentio praeterit, sed Eratosthenem quoque multis in rebus a Timosthene dissentire scribit.

Hic libellus offert fragmenta XX. Geographicorum, quibus animaduersiones addidit V. Cl. tum interpretationi, tum illustrationi locorum, siue corruptorum, siue obscurorum, non infeliciter intentus.

XI.

Επικτητου Εγχειριδιον. Epicteti Enchiridion, in vsum studiosae iuuentutis, ex recensione et cum notis Nicolai Schwebelii. Norimbergae, sumt. Ge. Petr. Monath, 1771. pagg. 160. 8.

Multa *Schwebelius*, de iuuentute praeclare meritus multis modis et Onosandri editione clarus, bona monuit in animaduersionibus, cum de verbis tum de sententiis. Illorum non pauca explicuit; harum quae obscurae viderentur illustrauit. Qua in re iuuit Virum doctum comparatio perpetua Enchiridii cum commentariis Arriani et Simplicii. Hac enim ratione nullam aliam esse expeditiorem certioremque in hoc libello explicando iam monuit Fabricius noster. Vbique viri docti verecundiam et modestiam, quas suae doctrinae comites dulces adiunxit, non sine voluptate animaduertimus. Diligentiam vero in indice verborum conficiendo nobis omnino probauit.

CON-

CONSPECTVS LIBRORVM

QVORVM CENSVRAE

VOLVMINIS VI. PARTE IV.

CONTINENTVR.

I. Io Matthiae Geſneri Biographia Academica Gottingenſis. Volumen tertium. - - - - p. 389

II. Animaduerſiones, quibus Xenophontis Memorabilium Socratis dictorum et factorum libri emendantur, illuſtrantur, Auctore *Carolo Friderico Hindenburgio.* - - - 306

III. Chreſtomathia Latina poetica: edita et animaduerſionibus illuſtrata a *Theophilo Chriſtophoro Harles.* - 411

IV. Mors Chriſti, ſeu Meſſias, ex illuſtri poemate Klopſtokiano. Cantus IX. 425

V. Saxonis Grammatici Hiſtoriae Danicae Libri XVI. e recenſione Stephani Ioannis Stephanii cum Prolegomenis et lectionis varietate edidit Chriſt. Adolphus Klotzius. - - 434

VI. *Caroli Ehregott Mangelsdorff* Art. M. diſputatio Academica *de magiſtro memoriae ad illuſtrandam notitiam dignitatum vtriusque imperii.* 439

Eius-

Eiusdem Disput. Acad. *de iureiurando per gladium.* - - - p. 439

Eiusdem Disput. Acad. *de consacramentalium origine non Germanica eorumque indole vera ac natura.* - ibid.

VII. Oratorum Graecorum, quorum Princeps est Demosthenes, quae supersunt, monumenta ingenii, e bonis libris a se emendata, materia Critica, Commentariis integris Hieron. Wolfii, Io. Taylori, Ierem. Marklandi, aliorum et suis, indicibus denique instructa edidit *Ioannes Iacobus Reiske.* - - - 446

VIII. Aug. Frid. Schott Epistola ad Auctorem de Lipenii Supplementis. - 463

IX. Tentamen poeticum per Epigrammata.

Epigrammata poetica, tentamen secundum. - - - 469

X. Diatribe in Fragmenta Geographicorum Eratosthenis: auctor Laurentius Ancher, Hafnia-Danus, Decanus communitat. Reg. Hafniens. - - 474

XI. Επικτητου Εγχειριδιον. Epicteti Enchiridion, in vsum studiosae iuuentutis, ex recensione et cum notis Nicolai Schwebelii. - - - 476

I.

INDEX LIBRORVM,

QVI HOC VOLVMINE RECENSENTVR.

Ancher, Laur. *diatribe* in Fragmenta Geographicorum Eratosthenis. p. 474
Bayeri, Theoph. Sigfr. *Opuscula ad historiam antiquam, Chronologiam et rem numariam spectantia.* 370
Bel, Car. Andr. *de barbarie fanaticismi filia.* 319. *de optimis contra fanaticismum in litteras grassantem remediis.* ibid.
Boscouich, Rog. Ioseph. *de solis ac lunae defectibus Libri V.* 148
Casanoua, G. *Discorso sopra gl' Antichi, vari monumenti loro* etc. 120
Cocquelines v. *Terentius.*
Demosthenes v. *Oratorum.*
Disquisitiones Plinianae, in quibus de vtriusque Plinii patria, rebus gestis, scriptis, codicibus, editionibus, atque interpretibus agitur, auctore Ios. Comite a Turre Rezzonici. 135
Ducker v. *van Goens.*
Epicteti Enchiridion — cum notis Nicolai Schwebelii. 476

Epi-

Epigrammata poetica, tentamen secundum. p. 469

Erici, Io. *Obseruationum ad antiquitates septentrionales pertinentium Specimen.* 337

Gemisti, Georgii, Plethonis, *de iis quae post pugnam Mantinensem apud* Graecos *gesta sunt, libri II. nunc primum seorsim editi et notis illustrati ab* Henr. Gotrfr. Reichardo. 301

Gesneri, Io. Matth. *Biographiae Academicae Gottingensis Vol. III.* 389

Goens, Ryckt. Mich. van, *Dissertatio de Simonide Ceo, Poeta et Philosopho.* 38

Gottleber, Io. Christ. *Animaduersiones ad Platonis Phaedonem et Alcibiadem secundum.* 345

Harles, Theoph. Christoph. *Chrestomathia poetica Latina.* 411

Hindenburgii, Car. Frider. *Animaduersiones, quibus Xenophontis Memorabilium Socratis dictorum et factorum libri emendantur.* 306

Historia et Commentationes Academiae Electoralis scientiarum et elegantiorum litterarum Theodoro-Palatinae. 203

Ihre, Io. *Glossarium Suio-Gothicum.* 185

Ionian Antiquities published with the Permission of the Society of Dilettanti by Rich. Chandler etc. 178

Kennedy, James, *Description of the Antiquities and Curiosities in Wilton-House.* 277

Kronbiegel, Georg. Frid. disp. *de dictionis Polyaenicae virtutibus et vitiis.* 376

Lon-

Longinus, Dionyſius, *de ſublimitate, animaduerſiones interpretum excerpſit, ſuas et nouam verſionem adiecit* S. F. N. Morus. p. 306

Luzac, Io. *Specimen Academicum, exhibens obſeruationes nonnullas Apologeticas pro Iureconſultis Romanis.* 44

Mangelsdorff, Car. Ehregott, *Diſp. Acad. de magiſtro memoriae.* 439. *de iureiurando per gladium.* 444. *de conſacramentalium origine non Germanica, eorumque indole vera et natura.* 445

Mors Chriſti, ſeu Meſſias, ex illuſtri poemate Klopſtockiano, Cantus IX. 423

Morus v. *Longinus.*

Mulleri, Georg. Frid. Varii generis carmina Latina. 17

Neandri, *Lapſus Protoparentum*, ex poemate Miltoni, Cantus VI. 91

Oberlin, Ier. Iac. recenſio Muſei Schoepflini. 33

Oratorum *Graecorum quorum Princeps eſt Demoſthenes, quae ſuperſunt monumenta ingenii — edidit* Io. Iacobus Reiskius. 446

Picturae Etruſcorum in vaſculis, nunc primum collectae in vnum, explicationibus et diſſertationibus illuſtratae, a *Io. Bapt. Paſſerio*, V. I. et II. 211

Püttmanni I. L. E. *Memoria Gottfridi Maſcouii.* 287

— — *Meletematum Iuris Ciuilis Specimen I.* 381

Rei-

Reichard, v. *Gemiſtus.*
Reiskius v. *Oratorum.*
Rezzonicus v. *Diſquiſitiones.*

Saxonis, Grammatici, *Hiſtoriae Danicae Libri XVI. e recenſione* Stephani Ioannis Stephanii, *cum prolegomenis et lectionis varietate edidit* Chr. Ad. Klotzius. p. 434
Schirach, Gottl. Bened. v. *Tzetzes.*
Schott, Aug. Fried. Epiſtola ad auctorem de Lipenii ſupplementis. 463
Schwebelius, v. Eipſtet.
Smithiana Dactyliotheca. 68
Struchtmeyeri, Petr. Laur. *Epiſtola Critica in Gloſſas Nomicas.* 83
Swedenborg, Emanuel. *Delitiae ſapientiae de amore coniugiali, et voluptates inſaniae de amore ſcortatorio.* 109

Tentamen poeticum per Epigrammata. 469
Terentii, P. *Comoediae, ex recenſ. Dan. Heinſii, collatae ad antiquiſſimos codices MSS. Bibliothecae Vaticanae* — edidit *Carolus Cocquelines.* 3
Tzetzae, Io. *Carmina Iliaca, nunc primum e codice Auguſtano edidit* Gottl. Bened. Schirach. 366

Wakker, I. P. de Medenbach, *Amoenitates litterariae.* 331
Walchii, Bernhard. Georg. *Vberioris commentarii de Claudiani carmine, de raptu Proſerpinae inſcripto, ſpecimen.* 357

II.

II.

INDEX RERVM.

A.

Adamante veteres sculptores non semel vsi sunt. p. 81
Aediles etiam de sumtibus funerum edixerunt. 384
Aegyptiorum merita de artibus. 123
Alemannica lingua an suecicam illustret. 197
Alexander M. templum dicauit Minervae. 182
Anglo-Saxonica lingua. 195
Antiquariarum litterarum benigna materia offertur. 278
Antitopeiae exempla. 231
Apocalypticorum Philosophorum mores, vita, ingenia etc. 319. illorum dux, princeps, et deus. 109
Ara votiua, Imper. Romanis a ciuitate Moguntiacensi sec. III. dicata. 205
Artifices antiqui quasdam operis partes negligebant. 129. saepius dolorem, quam laetitiam exprimebant. ibid.
Auctorum antiquorum edendorum quae sit optima ratio. 451
Aures ad donaria pertinebant. 264

B.

Bacchi cultus. 255
Bacchica, pompae. 257

Bayeri, Theoph. Sigfr. vita et laudes. p. 370
Biographia quomodo admittat rerum paruarum enarrationem. 394
Borealium popolorum diuersa mythologia pro diuersis temporibus. 341

C.

Calpurnius emendatus. 422
Campana vasa. 215
Catullus emendatus et explicatus aliquoties. 414
Celtica lingua. 192
Cicero an recte accusauerit ICtos Romanos. 46. cur hoc fecerit. 52
Claudiani lectio defensa. 332. qualis sit poeta. 359. defensus. 363
Cleomenes duo statuarii. 281
Comicas personas veterum quis ediderit. 14
Commodi Imp. nomen in inscriptione deletur. 209
Critici antiqui quam rationem secuti sunt. 307. audaciores vituperantur. 381
Curinae deae effigies. 236
Curtius Gesnero inuisus et noxius visus. 405

D.

Deirona dea, quae sit. 34
Deorum Septentrionalium diuersae classes. 339
Romanorum diis an locus in carmine Christiano. 29
Dialecticae quantus sit vsus. 400
Dialectorum Graecarum explorandarum quae sit optima ratio. 378
Ducere vestes quid significet. 334

Ebraea

E.

Ebraea lingua an illustret Scythicam. p. 191
Eloquentiae nullus locus, nisi in libera republica. 396
Epicteti explicandi quae sit optima ratio. 476
Eratosthenes, multa scripsit. 474. a plagii crimine defenditur. 475
Etruriae laudes. 213. pictura 213. 223. 267. monimenta. 214. res vestiaria. 222. arcana philosophia. 243. an perspexerint Etrusci hominis primi lapsum. 245

F.

Fanaticissmi imago. 322. quomodo illius impetus coerceri possint. 327
Fictiones veterum ICtorum defensae. 49
Fortunae manentis imago. 230

G.

Gallici sermonis origines. 199
Gemistus, Georg. quid scripserit. 302
Gemmis antiquis saepe nomen clari artificis insigunt manus recentiores. 77
Genii tutelares, ex doctrina populorum borealium. 343
Gesnerus, Io. Matth. acroases fecit gratis. 395. quomodo in vitis describendis versatus sit. 397. quid de Philosophia senserit. 398. libros virtuti et religioni noxios odit. 401. quaedam inchoata non perfecit. 404
Getae nomen erasum in antiquis titulis. 37
Glossae nomicae emendatae. 85

Gorius quam rationem amauerit in explicandis monimentis. p. 74
Gottingensis Vniuersitatis laus. 390. nimia praedicatio. 391. mentio nulla in Dictionario Cyclopaedico. 392
Graeca lingua. 193. illius suauitatem Latina non assequitur. 314
Graeci scriptores qui inprimis in scholis explicari debeant. 304

H.

Hemsterhusii humanitas summa. 403
Herculis Aquilegi effigies in gemma antiqua. 73
Hermaphroditorum signa an finxerint Romani. 128
Hermogenes, architectus. 181
Hispanae linguae origines. 200
Horatii vrna. 283. lectio defensa. 333
Horis viginti quatuor an diem descripsesint veteres. 468

I.

Ingelheimense palatium Caroli *M.* 207
Islandica lingua. 198
Italicae linguae origines. 201
Iurisprudentiae demonstratiuae mores. 89

K.

Kalendarii antiqui imago. 237

L.

Lares Etruscorum quales fuerint. 221
Latina lingua solo vsu percepta. 396. similis in multis Gothicae. 194

Lectus

Lectus genialis. p. 235
Legionis I. adiutricis monimentum. 209
Lessingius commemoratur. 226
Liberae deae sacra. 252
Linguarum natales quomodo inuestigandi sint. 186
Longinus, Dion. quali scribendi genere visus sit. 309

M.

Magister memoriae quali munere functus sit. 441
Martis statuae quales. 126
Masconii, Gottfr. vita 287. cur Gottingae amiserit munus professoris 292. quale illius ingenium, qui mores. 295
Miltonum qui in alias linguas transtulerint. 98
Moesogothica lingua. 195
Musei Dresdensis splendor. 120
Musica veterum Etruscorum. 248

N.

Natalitia. 235
Nemesianus emendatus. 420
Newtoni laudes, magnifice cantatae. 369
Nuptialia Balnea 233. sacra. 234

P.

Palatinae Academiae laudes. 203
Pedem sinistrum ad aram accedentes suspendebant. 261
Pembrokiani Musei diuitiae. 278
Persica lingua. 193

Perspectiuae an periti fuerint antiqui pictores. p. 226

Plato quomodo recte explicetur 346. quid illius interpres agere debeat 347. illius dialogi quales sint 350. homines, qui non eodem tempore vixerunt, coniungit 353. an Socratem fideliter expresserit. 354

Plinii vtriusque historia. 139

Plinius, hist. naturalis auctor, vnde ortus. 140. Comensis fuit. 142. illius praefatio ad Titum vindicata. 144. qualis illius stilus. 145

Poetae pessimi exemplum 469. optimi laudes 148. boni poetae non semper prosaica oratione valent. 177

Propertii lectio defensa. 335

R.

Reiskiae, foeminae doctae, laus. 462

Reiskius, ipse de sua veteres auctores emendandi ratione iudicat 453. iure queritur de contemtu litterarum Graecarum in Germania. 458

Restitutio veterum monimentorum quomodo diiudicanda. 122

S.

Sapphici carminis dulcedo. 313

Saxo Grammaticus quibus virtutibus emineat. 435

Scholia antiqua quam inania plerumque sint et inepta. 454. 457

Scythica lingua. 191

Simo-

Simonides, Ceus, quid egerit et inuenerit. p. 41
Sirona dea quae sit. 35
Socrates quid et quomodo de Geometria et Astronomia senserit. 409
Somnia quomodo veteres Septemtrionis incolae interpretati sint 337. vnde ea oriri putauerint. 339

T.

Taylorus qualem Demosthenis editionem dederit. 449
Templum Bacchi in vrbe Teio 181. Mineruae Poliados 182. Apollinis Didymaei. 183
Terentii codex Vaticanus. 8
Theophrasti lectiones defensae. 88
Toga quali fuerit specie 243. quo ritu adolescentis supra dorsum composita. 249
Togae virilis assumtio in monimentis. 238
Triumphi caerimoniae. 261
Tzetzes quae scripserit carmina Iliaca. 368

V.

Vasa antiqua Etruriae vindicata 219. quomodo sint diiudicanda. 265
Verba non eadem omnia carminibus omnibus conueniunt. 21
Versio poetarum in aliam linguam quam fidelis esse debeat. 93
Vlpianus an fuerit hostis Christianorum. 383
Vonckii, Valerii, vita, fata, ingenium, doctrina. 54

Winkel-

W.

Winkelmannus defenſus. p. 127
Wolfianae philoſophiae vituperium. 396
Wolfius, Hieron. bene de Demoſthene meritus. 449

X.

Xenophon an ſimultates habuerit cum Platone. 408

